10. 7-165

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

10
7
165

VITÆ SOLITARIÆ

SIVE

PURE MONASTICÆ UTILITAS

TAM IN ECCLESIAM

QUAM

IN REMPUBLICAM

Dilucidè demonſtrata

EX

SANCTORUM AUTHORITATIBUS

Sacriſque Hiſtoriis, &c.

1004

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SERVATIUM NOETHEN, Bibliopol.
Anno M.DCC. XI.
Superiore permiſſu & Approbatione.

LICENTIA
CENSORIS ORDINARII.

UT Utilitas Vitæ Solitariæ, ſive purè Monaſticæ tam in Eccleſiam quam Rempublicam redundans, magis pateſcat, omnibus, præſens Libellus, eum in finem conſcriptus, Typis mandari permittitur. Coloniæ 30. Aprilis 1711.

CORNELIUS BREWER
Sacroſanctæ Theol. Doctor,
Librorum Cenſor, m. pp.

PRÆ-

PRÆFATIO.

OMnes, teſte Tullio, *appetimus utilitatem, ad eam rapimur, nec facere aliter ullo modo poſſumus*: cum autem virtutis tanta ſit utilitas, ut à doctis illis, quamvis paganis, præferatur non ſolum omnibus poſſeſſionum & auri & argenti viribus, ſed ipſi etiam corporum ſanitati, definiaturque eſſe *unum hominis bonum*; hinc apud omnes gentes tanta ſemper fuit virtutis æſtimatio, ut & dignis laudibus eam efferre, & inſuper ejus ſequaces omni honorum ac benevolentiæ ſignis ſibi demereri ſtuduerint, neque ulla fere reperiatur natio tam barbara vel inculta, quæ hos non ſuſpexerit. Coluerunt Indi Brachmannos ſuos, Perſæ Magos, Aſſyrii ac Babylonii Chaldæos, Galli Druidas, *& nunquam ſic contra virtutes conjurandũ aſſeruerat Seneca, ut nõ ipſum Philoſophiæ nomen venerabile ac ſacrum maneret.*

3 *Offic.*

V. de eundem 1. de leg. item Senecam in Epiſt.

14. *Epiſt.*

Verum ſi apud Ethnicos, ſolo naturæ lumine præditos tantum valuit virtutis & ſapientiæ ſpecies, opinio, umbra (non enim abſque veri Dei cognitione vera ſapientia vel virtus) & ſi *inſanientem ſapientiam* in tanto habuerunt pretio ac honore, quid à Catholicis cœleſti lumine fidei illuſtratis non deberetur Chriſtianæ virtuti, ſapientiſſimæque crucis Philoſophiæ, quæ non ad inanem animi tranquillitatem & Apathiam quam ſibi proponebant gentiles Philoſophi, nec ad humanæ laudis gloriolam captandam ducit, ſed ſectatores ſuos divinæ conſortes naturæ efficit? Quod cum præ cæteris profeſſionibus adeo præſtet ſolitudo Monaſtica ut à SS. Patribus ſingulariter *Philoſophiæ* nomine deſignari meruerit; quid mirum ſi ipſi Imperatores ac Principes ad fidem converſi, mox (diverſa nimirum ratione, quâ Prædeceſſores ſui Chriſtianos velut inutiles & ipsâ hominum ſocietate indignos habuerant) Monachos omni honorum genere ſibi devincire conati fuerint, ac ſicut olim creditum fuerat tunc felices futuros populos ſi vel regnarent Philoſophi

Horat. *Græci paſſim.*

vel

vel philoſopharentur Reges , ſic ipſi perſuaſum habuerint tunc optime futurum Eccleſiis, ſi iis præficerentur Monachi, vel ut ita dicam Monachiſarent, quantum poſſibile erat, Epiſcopi?

Intelligebant quippe devoti Principes, quod qui, propter Deum omnia relinquentes, ſui omniumque curam abjeciſſe videntur, ſæpe multo præſtantius & efficacius tam ſui quam aliorum curam agant in Deo, & quod viciniores omnis utilitatis fonti, ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia, ſint quoque omnimodis utiliores : quorum alterum per bene cultam ſolitudinem, quæ teſte Hieronymo *familiarius Deo gaudet*, ita obtinetur juxta illud : *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* ; ut Auguſtinus de quibuſdam aſſerere non dubitarit : *in ſolitudine poterat Deificari.*

Epiſt. ad Helio.

1. ad Cor. 6.

Nihilominus cum inter ipſos Chriſtianos nonnulli ſic vivant , ac ſi ipſe Deus, qui eſt primus ac ſummus ſolitarius, foret inutilis, vel quaſi primo & maximo ſuo mandato, unum neceſſarium mandans, inutilitatem præcepiſſet, nullatenus quoque mirandum videtur, vi-

 tam

tam Monaſticam ſicut laudatores, ſic vituperatores & æmulos ſemper habuiſſe, qui eam tanquam inutilem calumniarentur. Olim audivimus Monachos à Valente Imperatore Ariano, à Petiliano Donatiſtâ, à Vigilantio Hagiomacho, quem S. Hieronymus *Dormitantium vocat*, à Florentio impio presbytero, & aliis, graves paſſos eſſe perſecutiones & oblocutiones. Deinde poſt ſæculum duodecimum exortis in Eccleſiâ variis Ordinibus, quorum alii pro divinis officiis & labore manuum concionandi officia, alii ſtudia, alii utrumque; quidam etiam charitatis officia induxêre, ac omnes fere in aliorum commoda & ſalutem inſtituti ſunt, priſcus monachatus magis impeti cæpit, deficiente nimirum, cum ſæculis fide, juxta quam plurimum negotioſi, ſæpe inutiles & otioſi, ſicut econtra qui oculis hominum otioſi videntur, quandoque maximè utiles ſunt. Et quia ſuum cuique pulchrum, inter ipſos Religioſæ vitæ cultores facta eſt contentio, quis Ordo quæve profeſſio videretur eſſe major; ſingulis aliorum Religionem ſuæ poſtponen-

Præfat. ad 1. part. ſæculi 4ti Bened.

ponentibus, quibuſdam etiam Veterem Monachatum tanquam inutilem, aliis econtra tanquam Eccleſiæ ac Reipublicæ magis proficuum clamantibus. Aſt maneat cuique Ordini ſua laus. Cunctos quippe ordines probi quique laudant & merito fovent, profecitque Eccleſia tot ordinum varietate, quamdium intra Regulæ quiſque ſuæ limites conſtitêre, proficitque indies ubi primis Ordinis moribus ſtatur. Num tamen deſidioſorum hominum genus inſtituiſſent Antonius, Pachomius, Baſilius, Benedictus, Bruno? Laudaſſet Athanaſius, defendiſſet Chryſoſtomus, ſectati eſſent cum Baſilio & & Chryſoſtomo Gregorius Nazianzenus, Martinus, Hieronymus, Auguſtinus, Fulgentius, Cæſarius, Gregorius Magnus, & ut infinitos alios præteream Bernardus, omnes præclariſſima Eccleſiæ lumina? Itane otioſos approbaret Eccleſia, Patreſque laudarent tanquam illuſtriorem gregis Chriſti portionem, confirmarent foverentque piiſſimi quique Principes, Reges, Imperatores? Id in animum ſapiens nunquam induxerit ſuum, ſed ſi adhuc in ſæculo

poſitus ad tale inſtitutum vocantis ſpiritus inſpirationem perſenſerit, ejuſdem neglectum grave ſalutis ſuæ reputabit periculum: vel ſi Monaſticæ militiæ nomen jam dederit, à primario ſui inſtituti propoſito ſeu ſcopo ne ad latum quidem unguem diſcedens, *Veterem* juxta Tridentinum Concilium, *diſciplinam ſi collapſa fuerit*, pro viribus reſtaurare annitetur, veterum ſcilicet veſtigia ac Inſtituta Patrum repetendo potius, quam poſteriorum regulas imitando.

Verum quidem quod hodiedum vel maxime virtutis comes invidia, quæ vitiis ſive otio deditis ac à primævâ obſervantiâ quantumcunque deviis parcere ſolet, mox ut quis ad eam regredi voluerit, ex adverſo, ſurget illud apud Hieronymum ingeminans: *quouſque deteſtabile genus Monachorum non urbe pellitur, non lapidibus obruitur, non præcipitatur fluctibus*, &c. Inter plurimas calumnias odioſum quoque inutilitatis characterem objectura, ferè ſicut *impii qui dixerunt*: *Circumveniamus juſtum quoniam inutilis eſt nobis & contrarius operibus noſtris*,

Epiſt. 23

Sap. 2.

ſtris, & improperat nobis peccata legis & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis eſt nobis etiam ad videndum quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius... Abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis, &c. Aſt ſi ipſe Sanctus Sanctorum, prout hinc patet, voluit ad conſolationem ſervorum ſuorum tanquam *Inutilis* traduci; meminerit Monachus *quod non eſt ſervus major Domino ſuo, & ſi Patrem familias Beelzebub vocaverunt quanto magis domeſticos ejus?* nullum in his melius conſilium quam adverſariorum dicas ac improperia *diſſimulare, pro detractoribus orare*, & canere cum S. Paulino, qui poſt ſpreta tanta bona, ut etiam *Paulini regna* dici mererentur, paſſim de arrepto propoſito Monaſtico ſupra modum carpebatur: *Matt. 10.* *Apud S. Bern. ad frat. de monte Dei cap. 1.*

...Stultus diverſa ſequentibus eſſe
Nil moror, æterno mea dum ſententia Regi
Sit ſapiens. *In Pœmat.*

Interim cum agatur de injuſta pernicio-

 ſiſſimæ-

ſiſſimæque conſequentiæ calumniâ (nititur enim lucernam extinguere, quam ad multarum animarum, quæ in activæ vitæ exercitiis periclitarentur, ſalutem Deus dignatus eſt accendere; & Statum Monaſticum, aſſequendo fini, propter quem homo creatus eſt, maxime proportionatum deſtruere) non tam hic attendendum quid deſideret humilitas religioſa, quam quid ſuadeat charitas Chriſtiana. Unde nec perperam nos feciſſe arbitramur, ſi Eccleſiæ & SS. Patrum Authoritatibus freti, modeſtè demonſtrare conati fuerimus, ſtatum monaſticum prout antiquitus ſervatus fuit, hodie etiamnum, ſi ſervetur, Eccleſiæ & Reipublicæ fructuoſiſſimum eſſe; *non enim* ut habet Baſilius, *oportet ad contumelias conticeſcere, non ut per contradictionem nos ipſos defendamus, ſed ut ne mendacio ſucceſſum permittamus, & deceptos in damno ſinamus.*

Epiſt. 63

Eſt quidem & alia calumnia quâ non parum deterrentur multi à Veteri Monachorum obſervantia, *nimirum ad tolerandos labores fortiorem fuiſſe naturam hominum, nunc vero ſeneſcente mundo omnia elanguiſſe*, ſed quam hæc vana ſit, ex-

vid. Pet. Ven. lib. 1. *Ep.* 28

actitudine ſua demonſtrarunt primi Ciſtercienſes, qui ob reſtitutam obſervantiam, *novitatis, ſcandali, ſchiſmatis*, inſuper & illâ quam jam diximus calumniæ notâ impetebantur, *quamvis multi nobiles & delicati in ſæculo ægrotativi & debiles, arctam & arduã viam* eorum *ingreſſi, in jejuniis, vigiliis & cæteris auſteritatibus recuperabant ſanitatem.* Retundit eam præterea hodierna experientia vitæ æquè vegetæ & longævæ ac tempore Davidis; S. quoque Carolus Borromæus, qui prætextum hunc & ſimiles habet ut *folia, ficus, quibus deformes pravique mores contegi ſolent*: ſed aptiſſimè Abbas Alexander, qui cum defleret SS. Patrum *converſationem verè Angelicam* deſtructam, *& Abbas Vincentius diſcipulus ejus* replicuiſſet: *infirmi profectò ſumus, Pater; dicit ei ſenex. Quid dicis, Vincenti, quia infirmi ſumus? crede mihi, fili, olympici corpore & robuſti ſumus, ſed anima noſtra imbecilla eſt.* His igitur aliiſque miſſis propoſitum aggredi tentemus, præſertim cum ex ſola refutatione inutilitatis ſolitariorum volentibus facile erit dijudicare quæ fides debeatur taliũ ineptiarũ divenditoribus, ne quocunque alio quantumvis ſpecioſo prætextu inauditi damnentur. CA-

vid. Exord. Ciſterc. lib. 1. cap. 16.

Card. de Vitr. hiſt. Occid. cap. 14.

Pſ. 89.

Orat. in 2. Conc. Prov.

Vit. Pat. lib. 10. cap. 168

CAPUT I.

Si Monachi inutiles forent merito exterminari debuiſſent ſed contrarium oſtendit nimia illorum à Deo approbata multitudo, & item communio Sanctorum, quæ in quo ſita ſit, breviter oſtenditur.

§. I.

Cap. 15. *Matt.* 25. *In Pſ.* 99. ASſerit Eccleſiaſticus, quod Dominus: *non concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.* Et in Evangelio Paterfamilias: *Servum inutilem jubet ejici in tenebras exteriores. Ubi erit fletus & ſtridor dentium.* Qua damnatione teſte Auguſtino docet: *Nulli prodeſſe, impium & crudele eſſe.* Unde irrefragabiliter deducitur, genus Monachorum, ſi infructuoſum foret, non ſolum execrandum, ſed omnimodis delendum eſſe. Ut *quid* enim otioſi & *Luc. cap.* 13. ſteriles optimam Eccleſiæ *terram occuparent*, quemadmodum ajebat ille, qui quærens nec inveniens, fructum in ficulnea quam habebat in vinea ſua plantatam, juſſit illam ſuccidi. At Monachos pro talibus reputari prohibet ipſa eorum nimia multitudo, quam juxta allegatum ſupra textum Dominus nequiviſſet ſignis & mirabilibus approbare, ſi utiles non eſſent.

Quid

Quid enim referam de Oxyryncho civitate in qua erant triginta Monachorum millia comprehenſis ibidem ſacris Virginibus, quæ fere omnes in eâdem cum Monachis claſſe collocandæſunt? Quid de S. Pachomii Monaſteriis qui ſub ſe habebat fratrum ſeptem millia? Quid de Serapione Abbate qui regebat decem millia? Quid de plurimis aliis quorum acta & ſtupendus diſcipulorum numerus inveniuntur in Sanctorum hiſtoriis?

§. II.

De Communione Sanctorum.

SEd eſt quod amplius vetat Monachos inutiles reputare, niſi enim quis eo dementiæ venerit, ut putet aliquem extra Eccleſiam fieri, eo ipſo quo monachiſmum amplectitur; ex communione Sanctorum, quam Apoſtolorum ſymbolum continet, credere tenetur, Monachos & ſibi & reliquis Eccleſiæ membris totique corpori eſſe perutiles. Unde ſatis mirandum, quoſdam ex illis ipſis qui noſtri ævi hæreticos arguunt, quia Eccleſiæ triumphantis cum militante communionem negant, eandem quodammodo negare inter membra quædam Eccleſiæ militantis; & ſicut illi ſuſtinent inutilitatem Sanctorum in Cœlis, ſic & hi divendant inutilitatem Sanctorum in cellis: ita ut & in hoc ad Monachorum conſolationem; *Cella & Cæli habitatio cognata ſint.* Sed an id non *Ad Frat. de mont. Dei cap. 8.*

non eſt facere ſchiſma in corpore , & dicere
1. *Cor.* commembro ſuo: *Opera tua non indigeo non*
12. *eſtis mihi neceſſarii?*

Vel hinc igitur apparet, quanto jure Concilii Tridentini Catechiſmus exopret in Eccleſiæ Præſidibus imitationem diligentiæ, qua Paulus aliique Apoſtoli hunc ſymboli Articulum explicarunt, quandoquidem diligentiæ iſtius defectu ipſimet adeo turpiter impingant, dum non attendunt Deum cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, unum Corpus effeciſſe ex omnibus ſimul fidelibus, quos uni capiti ſubjecit, uni Deo Redemptori & Mediatori noſtro JESU Chriſto adhærere voluit, uno eodemque ſpiritu, qui vivificat omnia, animavit, omnium & ſingularum ſpiritualium influentiarum, quas per ſpiritum illum in præfatum corpus, quod eſt Eccleſia, depluit & diffundit, participes facit, atque inter ſe tanquam ejuſdem corporis membra conjungit unione non ſo-
de Trin. lum myſtica, ſed &, juxta S. Hilarium, reali
lib. 8. atque adeo ſtrictâ, ut quidquid facit unus, omnes & ſinguli facere cenſeantur. Nimirum ſicut corporis naturalis ita myſtici corporis Chriſti Lex eſt, ut unum membrum alteri communicet, & ſingula operentur pro bono totius corporis; & licet diverſa membra varios actus habeant, in unum tamen colliment omnia ſco-
tract. 33. pum, totius nempe corporis commodum: *ocu-*
in Joan. *lus ſolus videt in corpore*, ait S. Auguſtinus juxta Apoſtolum, *ſed nunquid ſoli ſibi oculus videt?*

videt? & manui videt & pedi videt & cæteris membris videt: non enim ſi aliquis ictus in pedem veniat, avertit ſe oculus inde ut non præcaveat. Rurſus ſola manus operatur in corpore, ſed nunquid ſibi ſoli operatur? & oculo operatur; nam ſi ictus aliquis veniens non eat in manum, ſed tantum in faciem, nunquid dicit manus non moveo quia non tendit ad me? Sic pes ambulando omnibus membris militat, membra cætera tacent, & lingua pro omnibus loquitur. Atque ita diverſis concorditer diſtributa ſunt membra; ſic & de membris Chriſti Spiritus S. agit, ut omnia neceſſario compaginentur, & ſibi cohæreant taliter, ut dum ſingula quæque quæ faciunt, ſint omnium, interpoſita quadam charitatis neceſſitudine fiant omnia ſingulorum, quatenus unuſquiſque ſic quod non accipit in altero poſſideat, ut ipſe alteri poſſidendum quod accepit humiliter impendat. Itaque de ſingulorũ meritis ſinguli participant, ſicut & proficiunt de bonitate & fortitudine totius Eccleſiæ, in quam refunditur quidquid bonitatis ſingulis accedit: *Sic inſuper Creator noſter ac diſpoſitor per hanc communionem cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet*: nec ullus ſine alterius fidelis adjutorio ſubſiſtere queat, adeo ut ne Rex quidem aut Imperator vel pauperrimum deſpicere poſſit; cum hujus ope indigeat ut recipiatur in æterna tabernacula; nec largitor omnium bonorum aliquid concedere ſoleat, niſi motus

S. Anſel. in cap. 12. 1. Cor.

ibidem.

motus precibus Eccleſiæ, ſeu quod idem eſt, gemitu columbæ, cujus hic pauper membrum eſt.

Ex hoc ſymboli articulo taliter ſecundum Apoſtolum & Patres explanato quid charitatis, quid mutuæ venerationis ac dependentiæ, quid conſolationis, devotionis, utilitatis proveniret, non eſt hujus inſtituti deducere, ſicut nec ante dicta uberius probare. Sed hæc generalia Monachos inter & ſummos Eccleſiæ Præſules locum etiam habere monſtrat Magnus Auguſtinus dum Eudoxio Abbati & Fratribus Inſulæ Caprariæ ita ſcribit: *Quando quietem veſtram cogitamus quam habetis in Chriſto, etiam nos, quamvis in laboribus variis aſperiſque verſemur, in veſtra charitate requieſcimus. Unum enim corpus ſub uno capite ſumus, ut & vos in nobis negotioſi, & nos in vobis otioſiſſimus, quia ſi patitur unum membrum compatiuntur omnia membra.* Qua ergo fronte tu Monachos ſolitudini & ſilentio addictos, ut inutiles damnas, qui tibi manducanti jejunant, in quibus dormiens vigilas, quieſcens laboras, tacens pſallis, è quorum vitâ tantum habes emolumenti, dum omnium laborum dolorum & meritorum illorum ipſe gratis ſine labore ſine dolore participas? niſi forte quod abſit, ſpernendo commembrum tuum, ſpernas eum qui *poſuit* illud in tali loco corporis, ſive ſpiritum *qui omnia operatur dividens ſingulis prout vult.*

vid. Aug. lib. 3. de bap. vid. Am br. in Pſ. 118. & & lib. 1. offic. Auguſt. tract. 32. in Joan. Greg. in Job l. 13. Ibi hanc unionem tam ſtrictam oſtendit ut dicat Eccleſiâ per fortes plangere quod non fecit, quod in membris ſuis debilibus quaſi ipſa fecit. Anſel. ſup. &c. Ep. 81. 1. Cor. 12.

§. III.

§. III.

Defectus charitatis communioni Sanctorum officit. Theſaurus Eccleſiæ magnâ ex parte conſtat meritis Monachorum.

QUapropter hic non omittendum, quod fideles communionis Sanctorum non æqualiter participes fiant, ſed pro fidei ſuæ charitatiſque menſurâ; ac per conſequens ampliorem ex ſacrâ iſtâ ſocietate fructum percipiant, qui plus in eam conferunt; Invidi vero econtra minorem, ſi ullum. Hinc Auguſtinus poſtquam probaſſet, eos qui accipiunt Spiritum ſanctum etiam nunc loqui omnium linguis, *quia*, inquit, *omnis lingua mea eſt, id eſt ejus corporis, cujus membrum ſum*; ſic proſequitur: *Cum ergo membrum ſis ejus corporis quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Unitas enim membrorum charitate concordat, & ipſa unitas loquitur, quomodo tunc unus homo loquebatur... credamus Fratres quantum quiſquis amat Eccleſiam Chriſti, tantum habet Spiritum ſanctum.* Ac deinde enumeratis ex Apoſtolo diverſis operationibus ſpiritus, addit: *ſed tu forſitan eorum omnium quæ dixi nihil habes. Si amas, non nihil habes: ſi enim amas unitatem, etiam tibi habet quiſquis in illâ habet aliquid. Tolle invidiam & tuum eſt quod habeo: tollam invidiam, & meum eſt quod habes;* *Tract. 32 ſup.*

livor ſeparat, charitas jungit. Similiter alio in loco loquens de jejuniis & corporis caſtigationibus: *faciat*, inquit, *quæque veſtrum quod poterit, quod altera minus poteſt, in eâ qua poteſt, facit, ſi in altera diligit, quod ideo quia non poteſt ipſa non facit.* Magis ad rem Bernardus dicens: *facit charitas ut ne illorum quidem fructu frauder, quorum inſtituta non ſequor. Plus aliquid dicam, tibi cautè age, poteſt namque fieri quia fruſtra tu laboraveris: ut autem fruſtra diligam bonum quod operaris, fieri omnino non poteſt.*

Epiſt. ad probam 121.

Apol. c. 4

Viderint igitur illi, qui Monachos tanquam infructuoſos habent, ac per hoc multis millibus Sanctorum invidi vel ingrati exiſtunt, an non privent ſe abundantiâ fructuum ex Sanctorum communione redundantium. Si enim verum eſt quod Auguſtinus cum juramento aſſerit, *ſe difficile eſſe expertum meliores quam qui in Monaſteriis profecerunt*, & quod eadem ſint *torcularia, unde Apotheca Dominica fructu olei luminioſioris implentur*; certum quoque eſt theſaurum Eccleſiæ, qui ſecundariò ex meritis Sanctorum conficitur, ex meritis Monachorum multâ ex parte conſtare. Et ſicut nemo Catholicorum negarit ſanctiſſimam Virginem Mariam, etiam præter datum benedictum fructum ventris ſui, vitâ ſuâ privatâ Eccleſiæ ſicut & progreſſui Evangelii amplius contuliſſe & profeciſſe quam Apoſtoli aliique activæ vitæ Sancti; qui non pari, quamvis longe inferiori ratione, dicen-

Ep. 137.

dicendum, Monachorum ac Deo dicatarum fœminarum plurimos eſſe in Eccleſiam fructus, præſertim ſi ut in vita S. Pachomii aſſeritur, *æquiparent etiam illorum merita qui pro Nomine JESU Chriſti Domini noſtri certarunt uſque ad ſanguinem*, & quorum perſecutioni, vel potius paſſioni, ſucceſſerunt? nempe alterum Martyrum eſt vita Monaſtica, *illo quo membra caduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* Hincque fortaſſe *exceptis ſanctis Martyribus, rari omnino in numerũ Sanctorum relati leguntur*, ſi Cardinali Bellarmino Societatis JESU decori credimus, *qui ex Monaſteriis non prodierint: ut mihi*, proſequitur, *jam Monaſticæ vitæ approbatio inter eas notas ac ſymbola, quibus Eccleſiam Catholicam ab omnium hæreticorum conventiculis internoſcimus atque diſtinguimus, primum locum tenere, clariſſimeque eminere videatur.*

In Prol.

S. Ber. in Cant. ſer. 30.

Tom. 2. controv. lib. 2. in præf.

CAPUT II.

Eccleſia per Doctores ſuos Monaſticam vitam ſemper defendit contra hæreticos, eamque ſummè laudavit.

§. I.

QUo evidentius pateat, præcitata Eminentiſſimi verba, etiam intelligenda eſſe de

vitâ purè Monaſticâ; non abs re fuerit, hic adjicere SS. Patres, qui ſunt lingua Eccleſiæ, olim eandem vitam ſemper tuitos fuiſſe. *Et Xenodochia & Monaſteria*, ait S. Auguſtinus, *poſtea ſunt appellata novis nominibus; res tamen ipſa, & ante nomina ſua erant & Religionis veritate firmantur; quæ etiam contra improbos defenduntur.* Videmus autem quod idem Sanctus hæc defenderit contra Donatiſtas: *Deinceps perrexit*, inquit, *loquens de Petiliano, ore maledico in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum; quod genus vitæ omnino quale ſit neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum, neſcire ſe fingit.* Similiter S. Baſilius: *Vitio vertitur nobis etiam quod homines habemus exercitatores pietatis, qui renuntiaverunt mundo, ac temporalibus ſollicitudinibus, quas ſpinis aſſimilat Dominus non permittentibus verbo ut ad fertilitatem perveniat. Tales mortificationem JESU in corpore circumferunt, & levatâ cruce ſuâ ſequuntur Deum ego vero totius vitæ meæ pretio æſtimaverim meas eſſe has injurias, & habere apud me ipſum viros, qui ſub me præceptore exercitationem hanc elegiſſent, &c.* Et item S. Hieronymus adverſus Vigilantium: *nec à ſuo ſtudio Monachi deterrendi à te lingua viperea & morſu ſæviſſimo, de quibus argumentaris & dicis; ſi omnes ſe clauſerint & fuerint in ſolitudine, quis cele-*

In Joan. tract. 97. — *Lib. 3. de cont. Petil. cap. 40. vid. & in Pſ. 132.* — *Epiſt. 63* — *cap. 6.*

celebrabit Eccleſias? quis ſæculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? nunquid & hodiedum à pluribus auditur hoc argumentum quod tamen S. Doctor non æſtimavit reſponſine dignum? qui ſi in eo pergant, accipiant & ſibi Sancti replicam: ***hoc enim modo*** |: ***ſi omnes tecum fatui ſint ſapiens quis eſſe poterit?***

Sanctus quoque Joannes Chryſoſtomus tres expreſsè libros conſcripſit adverſus vituperatores vitæ Monaſticæ, quam mirè extollit aliis etiam locis, quemadmodum & cæteri Patres ac Authores tam Græci quam Latini, è quibus poſterioribus pauca tantum hic adducentur, ne in immenſum vagemur; *quotquot enim fuerunt unquam pii ſcriptores*, prout aſſerit Bellarminus, *tum ſermonibus tum libris ſcriptis hoc genus vitæ in cælum tollere conati ſunt.* Plura qui deſiderabit, adire poterit S. Athanaſium in vita S. Antonii, nominatim cap. 21. Sanctum Baſilium Inſti. Monaſt. de abdicatione rerum; & Epiſt. ad Chilonem. Gregorium Nyſſenum hom. 7. in Cant. Gregorium Nanzianzenum Epp. ad Baſilium Apolog. Carm. 59. Joannem Chryſoſtomum in Matt. hom. 2. 8. 69. 70. in Epiſt. ad Timoth. hom. 14. in Acta hom. 17. item hom. 57. 58. lib. de comparatione Regis & Monachi Epp. 36. 70. 92. 93. Sanctum Ephrem Adhort. 4. Sanctum Nilum de præſtantia Monachi, Epiſt. 75. &c. &c. &c. *Supra.*

§. II.

SS. Patrum Latinorum de vitâ purè Monaſtica opinio.

Conf l. 8. c. 6. PRimus ſit Ambroſius, ſub quo *Nutritore* Auguſtinus memorat fuiſſe *Monaſterium Mediolani, plenum bonis Fratribus extra urbis mœnia*; & ex quo hujus jam tempore videmus pro otioſis, ac per conſequens pro inutilibus, habitos fuiſſe eos qui ſoli Deo vacant, in iſta *In Pſal. 118. ſerm. 11* enim verba Pſ. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando conſolaberis me*, poſtquam monſtraverat, *oculum mentis & oculum carnis unum fieri, cum caro & mens diverſa non cupiunt, ſed unum deſiderant, unum requirunt, intenti in eum qui ait: Ego & Pater unum ſumus*; ſic proſequitur: *deficiebat ergo in verbum propheta, nos autem otioſos nos putamus, ſi verbo tantummodo ſtudere videamur, & pluris æſtimamus eos qui operantur, quam eos qui ſtudium cognoſcendæ veritatis exercent. Dicunt enim plerique: Ecce homo & opera ejus, quaſi qui verbo ſtudeat non operetur.* Demonſtrat autem ſanctus Pater, *magis opus iſtud quam cætera eſſe*, cum verſetur circa verbum, *per quod omnia facta ſunt ut ſcias*, inquit, *operatorem omnium eſſe, & opus noſtrum eſſe JESUM Chriſtum: etenim ſecundum quod verbum eſt verbum inquirentibus grande opus verbum eſt*: adductâque hiſtoria de Maria & Mar-

tha,

tha, concludit: *Ita verbum cognoſcere majus opus eſſe quam miniſtrare divinæ authoritate ſententiæ definitur.* Alio vero loco ſic habet : *nunquam minus ſolus ſum quam cum ſolus eſſe videor, nec minus otioſus, quam cum otioſus.... Maria ſola erat & operata eſt mundi ſalutem & concepit Redemptorem univerſorum. Solus erat Petrus, & totum per orbem conſecrandarum gentium cognovit myſteria.* Et cum oſtendiſſet Deum deambulare in paradiſo quando ſcripturas legimus, *liquet igitur ex his*, inquit, *quia ſoli cũ ſumus, tunc nos offerimus Deo, tunc mentẽ ei noſtrã aperimus, tunc amictum fraudis exuimus.... ſolus erat Dominus JESUS quando mundum redemit etſi nunquam ſolus eſt ille, in quo Pater eſt ſemper; unde & nos ſoli ſimus, ut Dominus ſit nobiſcum.* Et rurſus alibi aſſerens ſanctos in quiete maxima operari & mira, ſic incipit: *David Propheta docuit nos tanquam in amplâ domo deambulare in corde noſtro & converſari cum eo tanquam cum bono contubernali, ut ipſe ſibi diceret & loqueretur ſecum, ut eſt iſtud: dixi cuſtodiam vias meas.* Et allegatis exemplis Moyſis de quo petit: *cujus majora negotia quam hujus otia*, in monte ſcilicet illis quadraginta diebus, Davidis, Apoſtolorum, qui nihil faciendo, ſed ſolum tranſeundo curabant infirmos, Eliæ, Eliſæi, ſic inſtat: *quando ergo juſtus ſolus eſt, qui cum Deo ſemper eſt? quando ſolitarius eſt qui nun-*

Ep.41.

Offic.l.3. c.1.

quam ſeparatura Chriſto.... quando autem feriatur à negotio, qui nunquam feriatur à merito, quo conſummatur negotium. Quæ quidem omnia fortiſſime faciunt pro vitâ Monaſticâ, in quantum ſolitaria, quamvis & de iſtâ in ſe non tacuerit ſanctus Doctor, ſcribens enim Vercellenſi Eccleſiæ, aſtruit, *hæc duo in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe, Clericorum officia, & Monachorum inſtituta, illa in Theatro & Stadio, hæc in ſpelunca & ſecreto*, de quibus poſtremis inter multa, ſic habet. *Hæc nempe Angelorum militia eſt, ſemper eſſe in Dei laudibus; orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum ſtudent, lectione vel operibus continuis mentem occupant, ſeparati à cœtu mulierum ſibi invicem tutam prebent cuſtodiam. Qualis eſt vita in qua nihil ſit quod timeas, & quod imiteris plurimum adeſt, jejunii labor compenſatur mentis placiditate, levatur uſu, ſuſtentatur otio, aut fallitur negotio, non oneratur mundi ſollicitudine, non occupatur alienis moleſtiis, non urgetur urbanis diſcurſibus, &c.*

Ep. 82.

Quid de S. Hieronymo proferre neceſſe eſt, quem conſtat maximam vitæ ſuæ partem conſumpſiſſe peragrando Monachorum & ſolitariorum cellas, vitaſque eorum deſcribendo, ducens & ipſe id vitæ genus; quod etiam ſecundum baptiſmum nuncupat, ac valde extollit, & in quo tandem mortuus eſt? Auguſtinus vero quid ſenſerit de monachiſmo cui attri-

Epiſt. 25 ad Paulam item ad Demetriadem. Ep. ad Heliodorum ad Euſtoch. &c.

tribuit mores *ſuaviolentia Dei & ubera deſerta eremi*, palam eſt: quomódo noluerit eum deſpici nec deſeri, etiam propter eos qui ibidem reperirentur mali; qualiter hanc profeſſionem alleget tanquam probam veræ Eccleſiæ, ſummis Laudibus illam celebrandò: *merito tibi*, inquit, loquens Catholicæ Eccleſiæ, *tam multi hoſpitales multi officioſi, multi miſericordes, multi docti, multi caſti, multi ſancti, multi uſque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in ſumma continentia atque mundi hujus incredibili contemptu etiam ſolitudo delectet.* An non diceres ſolitarios, hic prout & ab Ambroſio ſupra omnibus Prælatos? *Jam enim accipite Manichæi perfectorum Chriſtianorum, quibus ſumma caſtitas non laudanda tantum, ſed etiam capeſſenda viſa eſt, mores & continentiam ſingularem.... quis enim neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magiſque diffundi, & in Oriente maxime atque Ægypto, quod vos nullo modo poteſt latere. Nihil de his dicam qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſpectu, pane ſolo qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aquá contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & ejus pulchritudinis contemplatione Beatiſſimi, quæ niſi Sanctorum intellectu percipi non poteſt. Nihil inquam de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas pluſ-*

Confeſ. ſup. vide Epiſt. 137 in Pſ. 54.122. 133. &c.

Lib. 1. de mor. Eccl.

quam oportet deſeruiſſe, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus proſit & vita ad exemplum, quorum corpora non videmus..... Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati ſimul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus, nulla ſuperbia tumidi? & poſt deſcripta Monachorum atque etiam Monialium exercitia, inter quæ & *opus manuum*, hodie tam paradoxum enumerat, ſic proſequitur: *hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc inſtitutum ſi laudare velim, neque digne valeo, & vereor ne indicare videar, per ſeipſum tantummodo expoſitum placere non poſſe, ſi ſuper narratoris ſimplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Hæc Manichæi reprehendite ſi poteſtis, &c.* Hæreticis ipſis irreprehenſibile autumat S. Doctor, & Catholici, Religioſi, Presbyteri id carpere non verentur! juxta Doctorum Ordinem Magnus Gregorius ſuccederet, niſi in ſequentibus aptior ei ſervaretur locus. Prætermiſſis igitur brevitatis cauſa aliis, finiat ultimus SS. Patrum. Bernardus, qui de Monaſtico ordine aſſerit;
Apol. cap. 10. *quod nullus in terra ſit ſimilior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei quæ in cœlis eſt Hieruſalem mater noſtra, ſive ob decorem caſtitatis, ſive propter*

per charitatis ardorem. Alio autem in loco Monachos vocat domeſticam Regis familiam, ajens: *toto ſiquidem anno Domeſtica Regis familia militat, & aſſidua eſt in bellorum præcinctu.... felices vos qui Domeſtici meruiſtis eſſe.* Et alibi aſſimilat dentibus corporis, *homines Monaſticæ profeſſionis, qui viam compendioſiorem & ſecuriorem vitam eligentes, de toto Eccleſiæ corpore quod candidum eſt candidiores eſſe videntur. Quid enim illis candidius qui totius immunditiæ ſpurcitias evitantes, cogitationum ſicut actionum peccata deplorant, Quid fortius illis?....toti corpori maſticant cibum dentes; quia ipſi pro toto Eccleſiæ corpore, videlicet tam vivis quam mortuis orare ſunt conſtituti.* Sed hoc alias; interim quomodo omnia hæc cum inutilitate Monachorum conſiſtunt?

Serm. 7. de quadr.

de diverſ. ſer. 93.

CAPUT III.

Indefeſſa Conciliorum ſollicitudo ut Monachi in obſervantiâ Regulæ continerentur, vel ſi deviaſſent, ad eam reducerentur, aſtruit vitæ Monaſticæ utilitatem.

SIcut nemo rationabiliter dixerit SS. Patres laudaſſe inutilitatem ſeu vitam inutilem, ſic minus adhuc dici poteſt, ſacras Synodos ſeu Concilia eandem ſumma ſollicitudine curaſſe & præcipiſſe. Invenitur tamen id ſæpius præſtitum

ſtitum circa modum vitæ purè Monaſticæ, qui
Anno à Londinenſi Concilio vocatur : *Sanctus &*
1268. *Deo proximus Ordo Monachorum*; prout ex ſe-
Can.38. quentibus patebit; Tanta autem reverentia, tanta
æſtimatio habebatur olim pro hocce Inſtituto, ut Patres Hiſpalenſis Concilii ſibi ſuiſque ſucceſſoribus qui quodlibet Monaſterium expoliandum aut convellendum tentaſſet, Ana-
An.619. thema dixerint his verbis memorabilibus: *Ma-*
Can.10. *neat à Regno Dei extraneus, nec proficiat illi bonum fidei vel operis ad ſalutem, qui tanta & tam ſalutaris vitæ deſtruxerit tramitem.* Sub
vide Reg. ſancto quoque Papa Gregorio celebratum le-
Lib.2. gitur Concilium Lateranenſe, de quiete & li-
Ep.57. bertate atque exemptione Monachorum, qui
Lib.3. tamen quantum abfuerit ut permitteret eis
ep.7.11. iſta, de quorum omiſſione notantur hodie qua-
18. & ſi inutiles, prædicare ſcilicet, mulieres admitte-
40. re, confeſſiones excipere, & ſimilia, apparet ex
Lib.4. ejuſdem epiſtolis, ubi negat erigi in Monacho-
ep. 1. rum Eccleſiis Cathedras, Confeſſionalia, vel
tit.5. alia ad animarum curam pertinentia; *nemo po-*
ep.41. *teſt*, inquit, *& Eccleſiaſticis obſequiis deſervire*
Lib.7. *& Monaſticâ Regulâ ordinate perſiſtere.* Imò &
ep.18. Epiſcopis prohibebat miſſas publicas celebra-
&c. &c. re in oratorio Monaſterii: *ne*, ait, *in ſervorum Dei ſeceſſibus occaſio præbeatur ſæcularibus con-*
Can. 4. *ventibus, & ſimpliciores ex hoc animas, &c.* Similiter Calcedonenſe Concilium a 630. Patribus celebratum, tempore ſancti Leonis Papæ ſic habet: *Qui vere & ſincere Monaſticam vitam*

tam aggrediuntur digni convenienti honore habeantur... viſum eſt Monachos qui ſunt in unaquaque regione & civitate, & quietem amplecti, & ſoli jejunio & orationi vocare; in quibus ſe ſemel Deo voverint locis fortiter perſeverantes, nec Eccleſiaſticis nec Sæcularibus negotiis ſe ingerere vel communicare, propria relinquentes Monaſteria; niſi forte jubeantur propter urgentes neceſſitates ab ipſius civitatis Epiſcopo. Canonem hunc innovavit Alexander II. & habet Pariſienſis Synodus. Alia autem incerto loco celebrata poſt Pariſienſem V. ſub Clothario Rege ſic habet: *ut Monachi juxta Regulam vivant, nec ſequeſtrati per cellas habitent, & peculiare nullum habeant.* an. 615. Can. 4.

Eodem modo Auguſtodunenſe Concilium: *de Abbatibus vero vel Monachis ita obſervare convenit, ut quidquid Canonicus Ordo, vel Regula ſancti Benedicti edocet, & implere & cuſtodire in omnibus debeant.* an. 670. Can. 15.

Concilium Germaniæ: *Monachi & Ancillæ Dei Monaſteriales juxta Regulam S. Benedicti cœnobia & xenodochia ſua ordinare, gubernare & vivere ſtudeant, & vitam propriam degere ſecundum prædicti Patris ordinationem non negligant.* an. 742. Can. 7. & ulti.

Concilium Cloveshoviæ: *ſint Monaſteria juxta vocabulum nominis ſui id eſt, honeſta, ſilentium quietorum, atque pro Deo laborantium habitacula, & non ſint ludicrarum artium receptacula, hoc eſt poëtarum citharistarum, muſicorum,* an. 747. Can. 20.

ſcur-

ſcurrarum, ſed orantium, legentium, Deumque laudantium habitationes. Et ut non habeant ſæculares quique vagandi licentiam per inconvenientia ſibi loca, vel diſcurſus interiora Monaſterii domuncula, ut materiam aliquando reprehendendi inde ſumant, ſi quid intra clauſtra Monaſterii aliter quam decet videant vel audiant, &c.

Capitul. an. 802. c. 17. *Monachi ut firmiter & fortiter ſecundum Regulam vivant, quia diſplicere Deo novimus, quiſquis in ſua vocatione tepidus eſt, &c.*

c. 11. c. 9. c. 25. c. 25. c. 6. Anno 813. quinque habita ſunt Concilia, Moguntiæ ſcilicet: Remis, Cabilonæ, Turonis & Arelati, in quibus Monachi & Abbates jubentur vivere *juxta Regulam S. Benedicti, qui ſe ut ita viverent cum atteſtatione profeſſi ſunt*, ait Cabilonſe, & Arelatenſe addit: *ut ait Apoſtolus: unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt in ea permaneat.*

an. 817. Concilium Aquiſgranenſe: *Abbates mox ut ad ſua Monaſteria remeaverint, Regulam per ſingula verba diſcutientes, pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante, cum Monachis ſuis implere ſtudeant.*

an. 853. can. 27. & 28. Synodus Romana. *Abbates ita obſervent ut ſtatuta Regularium per omnia non inveniantur delinqui. Qui ſemel ſe Deo voverunt & habitum Monachi oſtenderunt, Regularem teneant vitam, uno ſcilicet, ut convenit, dormitorio ac refectorio dormientes atque exiſtentes.*

an. 909. Concilium Trosleianum: *Cenſemus ut ſtatum*

tus Monaſteriorum inviolatus, juxta antiquam Regulæ traditionem & Canonum inſtituta ſervetur.

Ecce quantum iſtis temporibus, quibus vix inveniebantur Monaſteria niſi vitæ purè Monaſticæ, urſerint Concilia ut Abbates & Monachi in ſua manerent profeſſione. quam autem putamus fuiſſe ejus rei rationem, præter illam quam ultimum generale Concilium Tridentinum optans, quoque ut *vetus & regularis diſciplina ubi collapſa eſt reſtauretur*, allegat iis verbis: *Quoniam non ignorat ſancta Synodus, quantum ex Monaſteriis pie inſtitutis & recte adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris atque utilitatis oriatur.* Tantum igitur abeſt ut Concilia crediderint Monachos, quâ tales, eſſe inutiles, ut econtra per inhibitionem, ut vidimus, officiorum charitatis & continuam impulſionem ad propoſiti Monaſtici conſtantiam declararint, illos vel nihil vel parum utiles, niſi huic omnimodis inhærendo; excepto videlicet caſu urgentis neceſſitatis & legitimæ vocationis.

CAPUT

CAPUT IV.

Quod ex SS. Scripturarum Authoritate Monachorum utilitas demonſtrari poſſit.

Parum hic moramur, à quo, ubi, quando vita Monaſtica inſtituta vel à quibus primo culta fuerit, ſufficit enim ſilentium, ſolitudinem, ſæculi fugam, ſoli Deo vacationem, aliaque monachiſmum conſtituentia per ſcripturam commendari. Id verò qui neſcit, in ſacris litteris peregrinus ſit oportet. unicum in memoriam revoco locum, quo per Prophetam Dominus promittit, *in ſolitudine* non ſolum *loqui ad cor & paciſci fœdus*; ſed inſuper *ſponſare ſibi* & *exaudire* orationes per quas omnia obtinentur. non ſolum autem, ſed præterea quidquid in ſcripturis probat utilitatem virtutum, probat quoque utilitatem Solitariæ vitæ; qua non tantum facilius, ſed magis quoque acquiritur virtus. Hinc prout ex Auguſtino vidimus, nullibi meliores inveniuntur quam in Monaſteriis, ac perconſequens nullibi quoque reperitur amplius de virtutibus, ſine quibus nemo poteſt effici bonus. Nullibi igitur plus
1.Cor. 13. charitatis, quæ juxta Paulum ita eſt utilis, ut ſine ea cætera nihil proſint; nullibi plus pieta-
1.Timoth.4. tis, *quæ ad omnia utilis promiſſionem habens vitæ*
1.Pet.3. *quæ nunc eſt & futuræ*; nullibi plus *modeſti &*

quieti

quieti ſpiritus, qui eſt apud Deum locuples; nullibi plus fidei, *quæ montes transfert, cui nihil impoſſibile erit, per quam ſancti vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello; caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alii autem diſtenti ſunt.... alii vero ludibria & verbera experti.... circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus & in ſpeluncis & cavernis terræ, &c.* An non diceres Monachos hic deſignari? plures tamen & magis ſpeciales è ſcripturis ſuper hac utilitate probationes adduci poterunt, ubi in particulari agetur de fructibus, qui in Eccleſiam & Rempublicam per Solitarios Monachos dimanant. *Matt.* 17. *Hebr.* 11.

CAPUT V.

Monachi fructuoſi maximè per orationem.

SEd nefas eſſet præterire, quod igitur nec ullibi plus inveniatur orationis quam in Solitariorum Monaſteriis, cum maximè per eam utilia exiſtant, dicente Jacobo: *Multum valet deprecatio juſti aſſidua*: & Domino; *ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni* *Cap.* 5. *Epiſt.* *Matt.* 18.

omni re quamcunque petierint fiet illis a Patre meo qui eſt in cœlis. Ubi autem hæc magis locum habere poſſunt quam in Juſtorum congregationibus, qui orationem aſſiduè frequentant, & quorum profeſſio & nominis ætymon eſt ſolitudo, doctrinâ & exemplo Chriſti ad bonam orationem adeo commendata ? ſimiliter ſi ad efficacem orationem requiratur cor contritum & humiliatum, juxta illud: *Oratio humiliantis ſe penetrat nubes*; ſi jejunia, vigiliæ aliæque carnis macerationes, juxta Angelum dicentem Danieli: *ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui; exaudita ſunt verba tua*; ubi hæc amplius invenientur quam apud eos *quorum ordo abjectio eſt, humilitas eſt, voluntaria paupertas eſt, quorum ordo eſt ſtudere ſilentio, exerceri jejuniis, vigiliis, opere manuum.... eſſe ſub regulâ tali,* ut ejus conſcriptor, quamvis humillimus atque ſanctiſſimus, dicere audeat in perſona Dei: *cum hæc feceritis oculi mei ſuper vos & aures meæ ad preces veſtras, & antequam me invocetis dicam, ecce adſum?*

Eccleſ. 35.

Dan. 10

Bern. ep. 142.

S. Bened. in prol. c. 2.

Non piget ex Superioribus in memoriam revocare Monachos conſtitutos eſſe ut orent pro toto corpore Eccleſiæ, adeo ut cum Spiritus ſanctus nequeat per ſe gemere, ipſi ſint quos replendo poſtulare facit gemitibus inenarrabilibus, non quidem ipſi ſoli, ſpecialius tamen ipſi, quoniam vita ipſorum ſpecialiter conſiſtit in gemitu & luctu, unde rurſus S. Bernardus:

nardus: fili mi, *ſi Monachi obligationem noſces, omnis buccella quam edis lachrymis irriganda foret, in hoc enim Monaſterium intramus, ut peccata noſtra & populi deploremus, & panem quem ſuis laboribus pararunt comedentes, horum peccata comedimus, ut ea tanquam propria lugeamus.* *In epiſt. ſaſtredi.*

Monachi igitur proprie ſunt viri gementes & dolentes *ſuper cunctis abominationibus*, ſignati Thau. ſuper frontes, ſemper in corpore ſuo mortificationem JESU circumferendo; ipſi ſunt qui pro magnâ, ſi non maximâ, parte conſtituunt illum columbæ gemitum, per quem peccata ſolvuntur juxta Auguſtinum & dona obtinentur, de quo etiam idem Doctor: *nullus dies, nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, quo non à Sanctis, orationes Deo ubique funduntur.... diebus & noctibus, cum alii cibo & potu reficiuntur, alii quodlibet aliud agunt, alii dormiunt, &c.* *Ezech. 9* *Lib. 3. cont. Donaſt. & lib. 1. cont. Max. c. 9.*

Ex his quo fructu ſe privent Monaſticæ vitæ cenſores, qua item conſolatione ac fiduciâ gaudeant qui charitatem æmulantes ſtudent orare ſine intermiſſione, perpendant alii: ego ſimpliciter infero, ſi omnia per columbæ gemitum, ergo ibi plus fructus & plus ſalutis, ubi plus iſtius gemitus, quem abundare ampliusin Monaſteriis probat D. Laur. Juſtinianus poſt citata hæc Apoſtoli verba; *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; dicens: *ſane illi ſpiritualiter judican-* *Lib. de vita ſolit. c. 6.*

di ſunt mortui, qui mundi delectationibus, voluptatibus carnis, ac viſibilibus cunctis renuntiantes ex corde, & remotiori ſolitudine ſoli Deo vivere decreverunt. Horum etenim vita quamvis à mundi dilectoribus infructuoſa eſſe cenſeatur & mortua, utpote in ſæculi agibilibus minus intenta, eſt tamen perutilis atque fœcunda. Latet quidem in terra viſceribus arboris radix, corporeiſque oculis quando videtur, apparet contemptibilis atque deformis: & tamen ex eâdem prodiit ligni duritia, aſperitas corticis, foliorum amœnitas, redolentia florum, fructuumque dulcedo. Quamdiu hæc viget, arbor germinando fructificat: ipsâ autem areſcente radice omnis arboris pulchritudo marceſcit, lignumque infœcundum efficitur, flammarum incendio concremandum. Quidquid autem radicem diximus inviſibiliter operari in arbore, aquè Anachoretarum Deoque militantium agere in Eccleſia arbitrandum eſt vitam. Monaſteriorum quippe ſeceſſus petunt, in cellularum ſpeluncis latitant & ſæculo videntur ignoti. Alienique cum ſint ab occupationibus mundi & ab illius delectationibus ſequeſtrati, delinquentium tamen peccata orando ſuſtentant. Nam die noctuque divino aſſiſtunt conſpectui, compaſſionis emittunt gemitus, lacrymas devotionis effundunt, fraternæ charitatis offerunt vota, quatenus placabilem erga proximorum errata Judicis ſeveritatem reddant. Fit autem orantibus illis in peccantes æquanimior

mior Deus, ad præſtandum indulgentiam pronior, gratior ad ſuſceptionem pœnitentium, ad erogandum dona hilarior, atque ad gloriam condonandam latior. Sunt igitur interceſſores mundi, ſæculi lumen, virtutum exemplar, ſpeculum ſanctitatis, Religionis norma, fidei diſciplina, Angelorum ſocii, amici Sponſi, Altiſſimi filii.

CAPUT VI.

Monachorum orationes & contubernium SSmi Eccleſiarum Præſules quantum olim æſtimarint.

NIhil itaque mirandum quod antiqui olim, licet ſanctiſſimi Pontifices tanti fecerint Monachorum orationes. Nimirum per Dei voluntatem coacti Marthæ in Eccleſia munus obire, & in vineâ Domini laborare, tanti oneris pondus bene ſentientes, ſororis auxilium anxiè efflagitabant; cujus illuſtre imprimis exemplum habemus in Magno Auguſtino *totius Occcidentis clariſſimo Lumine, Sacerdotum gloria, Doctorum Magiſtro,* qui Monachis ſic ſcribit. *Admonemus ergo & petimus & obſecramus per Chriſti altiſſimam humilitatem, & miſericordiſſimam celſitudinem, ut noſtri memores ſitis in Sanctis orationibus veſtris, quas vos vigilantiores & magis ſobrias habere credimus.*

Bellar. contr. t.2.l.2. & Victor Vitenſ. Ep.81.

mus. Noſtras enim ſæpe ſauciat & debilitat caligo & tumultus ſæcularium actionum, quas etſi noſtras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille paſſus, & jubemur ire cum eis alia duo, tanta nobis ingeruntur, ut vix reſpirare poſſimus, &c. Quin & S. Papa Gregorius, olim & ipſe Monachus notas ſibi Monachorum preces ardenter requirit his verbis: *Nos ſub colore Eccleſiaſtici regiminis, mundi hujus fluctibus tollimur, qui frequenter nos obruunt, vos ergo qui in tanta quietis veſtræ ſerenitate tranquillam vitam ducitis, & ſecuri quaſi in littore ſtatis, nobis navigantibus, aut potius naufragantibus orationis veſtræ manum tendite, & conantes ad terram viventium pergere quantis poteſtis precibus adjuvate, ut non ſolum de vitâ veſtrâ ſed etiam de ereptione noſtrâ mercedem habere in perpetuum valeatis.* Et Eugenius Papa in Cathedra Petri ſucceſſor itidemque Monachus, ſimiliterque Innocentius III. Ciſtercienſium precibus muniri rogant. *Inter tot & tanta pericula conſtituti*, ſcribit poſterior, *rogamus & obſecramus vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quatenus nobis in maris altitudine fluctuantibus charitatis veſtræ ſuffragium impendatis, &c.*

Reg. l. 12 Ep. 16.

In Epp. ad cap. Gen.

Talia quoque invenire eſt apud Patres Græcos nominatim in Epiſtolis S. Joannnis Chryſoſtomi, qui Monachorum ſuffragia Eccleſiæ miniſtris non tam utilia quam neceſſaria inſinuare videtur, dum Monachos fortiter ſic alloquitur: *neque prorſus alia res eſt quæ perinde*

Orat. de S. Phi-

declaret quis ſit fidelis & amans Christi, quam ſi fratrum curam agat, proque illorum ſalute gerat ſollicitudinem. Hac audiant omnes Monachi, qui pro viribus Eccleſiarum præfectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordiâ, charitate, ſcientes quod in omnibus modis opitulentur iis qui tot periculis objiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas ſuſtinent, quibuſcumque poſſunt rationibus auxilientur quamquam procul habitantes; & victus ſors ipſis periſſet, & tota in ſcopulum impegiſſet ſapientia.

logonio 5. diebus ante nati Domini.

Sanctus vero Joannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus quoniam Monachicam vitam non duxerat, *volens nec hujus boni eſſe inexpers, congregans duos ordines Sanctorum Monachorum, ſtatuit in eis omnem utilitatem tribui de villis ſuis in civitate ſuâ: & faciens eis cellulas in duobus Oratoriis Dominæ noſtræ ſanctæ Dei Genitricis & ſancti Joannis quæ ipſe à fundamentis ædificaverat*, dixit amantiſſimis Deo Monachis ita: *Ego poſt Deum, utilitatem corporalem veſtram procurabo, vos autem ſpiritualis habetote curam meæ ſalutis. Veſpertina & nocturna vigilia mihi apud Deum imputetur. Quidquid vero in cellulis veſtris officii feceritis, pro veſtris ſit animabus. Hoc autem fecit, volens ſollicitiores efficere Deo amicos Monachos.*

vitæ ejus cap. 44.

Plures alii tam Occidentalis quam Orientalis Eccleſiæ ſanctiſſimi Epiſcopi perpenden-

tes magnam utilitatem, quam ex Monachis accipiebant, multos ſecum habitare volebant facientes ex Epiſcopali Domo quaſi Monaſterium, ut ad manum haberent tot orationum ſuffragia, vel ſicut de ſe poſt multas querelas & luctus, quia abſtractus erat à quiete & ſecuro litore Monaſterii, ait S. Papa Gregorius: *ut eorum ſemper exemplo ad orationis placidum littus quaſi anchora fune reſtringerer, & ad illorum conſortium velut ad tutiſſimi portus ſinum poſt terreni actus volumina fluctuſque fugerem.* Imo conſuetudinem habendi Monachos in ſuo comitatu tanti faciebat S. Petrus Alexandrinus ut teſte Bellarmino, *exiſtimaverit magnus ille Pontifex, ita partem veræ Eccleſiæ eſſe Ordines Monachorum, ut Epiſcopus Eccleſiæ eſſe non poſſit, qui Monachos ſecum habere noluiſſet.*

Ep. ad S. Leand. præfixa mor. in Job.

Controv. T. 2. lib. 2.

CAPUT VII.

Quod Monachi orando concionentur & animas dirigant.

EX prædictis liquet quantum excellentiſſimi animarum directores diſtarint ab iis, qui in Cathedrâ vel confeſſionali induſtriæ ſuæ vel perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis confidunt, non enim proprii tantum periculi curâ Monachorum ſuffragia illi tàm enixè expoſtulabant; ſed inſuper ne inanum

vanum Dei Evangelium prædicarent, nec fruſtra in vinea Domini laborarent. Si *enim*, ait Gregorius, *Dei gratiâ cor non repletur, incaſſum exterius à prædicatore monetur, & niſi ſpiritus corda audientium repleat, ad aures corporum vox docentium incaſſum ſonat.* Et alibi addit: *nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit qui doceat, Doctoris lingua exterius invacuum laborat.* Quin & ipſum vas Electionis Paulus qui à Chriſto jam glorioſo Apoſtolatum acceperat, & in tertium uſque cælum raptus fuerat, aliorum orationibus egere ſe credidit, ne ſua prædicatio ac etiam miraculorum perpetratio inutilis fieret: unde non ſolum de ſe ac Coapoſtolis dixit humiliter: *neque qui plantat eſt aliquid neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS*; at inſuper valde ſollicite expetit, ut Sanctorum precibus aperiatur ſibi ſermonis oſtium. *Orationi inſtate*, inquit, *orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, ut manifeſtem illud ita ut oportet me loqui.* Et rurſus: *orantes omni tempore in ſpiritu pro omnibus Sanctis, & pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiduciâ notum facere myſterium Evangelii..... ut in ipſo audeam prout oportet me loqui.* Atque iterum: *De cætero fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei creſcat currat & clarificetur.*

Moral. in Job. — *hom. 20. in Evang.* — 1.Cor.3. — *Coloſſ. c. 4.* — *Eph. c. 6.* — 2.Theſ.3

Similiter & SS. Patres feciſſe inveniuntur,

auditores ſuos monendo ut rogarent Dominum unctionis, quatenus & revelaret myſteria, & daret ſermonem rectum vocique eorum vocem virtutis; prout nominatim toties videre eſt in Auguſtini ſuper Pſalmos & Bernardi in Cantica ſermonibus; quorum etiam prior alibi ſic, ait, *JESUS Filius nave in Eremo pugnabat, & Moyſes orabat; non quia ambo pugnabant, nec ambo orabant, ſed unus pugnabat & alius orabat, merito qui pugnabat non deficiebat, quia ille orando vincebat. Ita & ego loqui quidem videor, ſed aliis orantibus loquor, ut precibus eorum contingat mihi quod Dominus, ait, aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Si ille ab uno tantum orante juvabatur & non ſuperabatur, quanto magis ego, ubi non unus ſed multi rogant Dominum mecum? &c.*

Serm. 4. de S. Steph.

Quæ cum ita ſint, quis dubitet Monachos qui & materiam & effectum Concionum precibus obtinent, potius prædicare quam prædicatores eos præſertim qui facti velut *as ſonans aut cymbalum tinniens*, non attendunt ſpiritum Patris loqui in ipſis debere, cujus eſt unctione ſua docere & inducere in omnem veritatem? nemo igitur quantumvis diſertus aut eximius verbi Dei præco vel Doctor, facundiæ vel eloquentiæ ſuæ tribuat; ſi quam de hæreſi vel errore victoriam aut peccatoris converſionem per ſe factam adverterit, quia meritis vel precibus ſimplicis cujuſdam fraterculi, in Europæ vel Indiarum finibus latitantis fortaſſis debetur

Vid. Matt. 10. Joan. 16 1. Joan. 2. &c.

juxta *inveſtigabiles divitias* Chriſti & mirabilem *diſpenſationem Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo.* *Epheſ. cap. 3.*

CAPUT VIII.

Alter modus, quo ſilentium Monachorum quam Eloquentiſſimorum Concionatorum quandoque eſt efficacior prædicatio.

§. I.

NOn eſt quidem ſcopi noſtri inquirere, unde ex tanto Confeſſariorum & Prædicatorum numero tantillus hodie in Eccleſia fructus percipiatur: ſed præter jam dictum defectum & illos de quibus S. Bernardus aſſerit quod miniſtros reddunt impuros, *ſi* ſcilicet *laudes requirant humanas, ſi non ponant ſine ſumptu Evangelium , ſi Evangelizent ut manducent, ſi quæſtum æſtiment pietatem , &c.* *Serm. 62 in Cant.* Certum eſt plurimum officere, ut idem S. Doctor, ait, quando non concordant *os & manus,* ſive quando dicunt & non faciunt. *Cujus enim vita deſpicitur, reſtat ut prædicatio contemnatur, & loquendi authoritas quando vox opere non adjuvatur.* Cum interim *plus clamet vita quam lingua,* ac *ſermo vivus & efficax exemplum ſit operis.* Hoc etenim modo à Theſſalonicenſibus: *diffamatus eſt ſermo Domini , non* *Greg. Aug. in Pſ. 30. Bern. ſerm. ad Abb. 1. Theſſ. 1.*

ſolum in Macedonia & in Achaiâ, ſed & in omni loco.... ita ut non eſſet Apoſtolo *neceſſe quid*
1. Petr. 3 *quam loqui : Et viri qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiunt... conſiderantes in timore ſanctam converſationem earum.* Quid ni ergo & Monachi bono ſuo exemplo homines à vitiis ad virtutes adducant efficacius, quam ſolâ voce ulli prædicatores juxta illud vulgatum : verba movent, exempla
Lib. 5. cap. 15. trahunt ? hinc Julianus Apoſtata, teſte Sozomeno, dum vidit Chriſtianos operâ maximè Monachorum in officio contineri, præcepit ut etiam Ethnici cænobia conſtruerent, quibus Chriſtianum populum facilius ad paganiſmum retraheret.

§. II.

Quid non utilitatis exemplum ſolum ſancti Antonii effecerit?

Vid. Socrat. lib. 4. c. 23. S. Hier. Ep. 26. ad Paul. ad an. 340.

NArrant Hiſtorici quod fundatio Monaſtices in Oriente maximum fructum Romæ produxerit, ac inde non longe poſt ibidem fuerint *tam crebra Virginum Monaſteria Monachorumque innumera multitudo, ut pro frequentia ſervientium Deo quod prius ignominiæ fuerat, eſſet poſtea gloriæ.* Audiatur Baronius : *Erat quidem in Oriente ſummum iſtud vivendi genus inſtar Eliæ ac Joannis Baptiſtæ cunctis hominibus, etiam Ethnicis, & Imperatoribus ipſis venerandum* (*NB.* quam honorata & laudata

inuti-

inutilitas prætenſa) *ſed & impiis quoque hereticis reverendum, atque adeo Cæleſtibus civibus admirandum, utpote qui ſe in terris concives habere latantes, cum iiſdem tanquam Gentilibus ſuis amice aſſiduo verſarentur. Factumque feliciter eſt ut Athanaſio propalante inferretur ac pariter coleretur in urbe ſublime illud vivendi genus, cujus in montibus atque deſertis locis tantum cernebantur impreſſa veſtigia. Nec detrectavit univerſus Chriſtianus orbis ſectari, quod ſciret in Eccleſiâ Romanâ ſuſceptum.*

Ecce quid unius Antonii exemplum effecerit, quod prius è viciniâ plures ad imitationem traxit, ac demum per orbem penè univerſum dilatatum eſt. Quare non immeritò S. Petrus Damianus: *Antonius*, inquit, *non Rethoricatur, ſed toto conſpicuus orbe litteris, ut ita dicam, vitalibus legitur.* *Per omnes Provincias, amor ejus famaque volitavit*, ait Athanaſius: *quem nec librorum diſſeminatorum oratio luculenta, nec mundana ſapientia diſputatio, nec nobilitas generis, nec opum infinita congeſtio commendavit.... hominem alio pene orbe celatum, & inter tantas poſitum ſolitudines, Africa, Hiſpania, Gallia, Illyrico, ipſi etiam quæ urbium caput eſt Roma Chriſtus demonſtravit. Creatoris eſt iſta benignitas, qui famulos ſuos, licet nolentes, nobilitare conſuevit, ut virtus poſſibilis nec extra humanam eſſe naturam Sanctorum doceatur*

Lib. 6. ep. 17.

vitæ ejus cap. 61.

exem-

exemplis, & ad beata vita imitationem ex fructu laboris optimus quiſque impellatur.

Conf. l. 8 cap. 6.

Sed an non exemplo primi hujus ſancti Abbatis Eccleſia debet maximũ Doctorem ſuum? notum ſiquidem eſt, referente ipſo Auguſtino, quantum ad ejus converſionem valuerit narratum à Potitiano, qui ſimul memorabat quomodo fortuita vitæ ſancti iſtius lectio duos Aulicos Imperatoris mox converterat, quos ſponſæ quas habebant, ubi audierant, imitatæ, dicaverant & ipſæ Virginitatem Deo. *Tu autem Domine,* inquit S. Doctor, *inter verba ejus* (narrantis Potitiani) *retorquebas me ad me ipſum, auferens me à dorſo meo, ubi me poſueram dum nollem me attendere, & conſtituebas me ante faciem meam ut viderem quam turpis eſſem, quam diſtortus & ſordidus & maculoſus & ulceroſus; & videbam & horrebam, & quo à me fugerem non erat, & ſi conabar à me avertere aſpectum, narrabat ille quod narrabat, & tu me rurſus opponebas mihi & impingebas me in oculos meos, ut invenirem iniquitatem meam.... tum tam vultu quam mente turbatus invado Alipium & exclamo: quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? ſurgunt indocti & cælum rapiunt, & nos in doctrinis noſtris ecce ubi volutamur in carne & ſanguine. An quia præceſſerunt pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi?* Poſt hæc non amplius ſe ferens Auguſtinus, hortum intravit, vocem audivit, legit & converſus eſt. Expertus igitur dixit quod ſupra citatum eſt, illos quibus *videntur*

tur ſolitarii, *res humanas pluſquam oportet deſeruiſſe*, non intelligere, *quantum nobis eorum animus orationibus proſit & vita ad exemplum.* c. 2. §. 2.

§. III.

Alia quædam ejuſdem rei exempla.

QUæ de Auguſtino dicta ſunt in memoriam revocant, quomodo converſio præclariſſimi Voluſiani, quam Auguſtinus litteris ultro citroque datis fruſtra tentaverat, reſervata fuerit exemplo S. Melaniæ Junioris quæ Jeroſolymis ſeorſum à conjuge Piniano Monaſticam vitam excolebat. Cùm enim Patruus ejus Voluſianus (qui creatus Præfectus Romanæ civitatis, miſſus erat Legatus Bizantium ad Eudoxiam Imperatricem) eam Conſtantinopolim accerſiſſet, *ejus habitum admiratus, formæque & veſtitus incredibili & inopinata ſtupefactus mutatione, exclamavit: ô qualem ex quali te video Melania Chariſſima! illa vero ex ejus ſermone ſumptâ occaſione: à me quoque, inquit, diſce, ô beate Patrue, & accipe indicium futurorum bonorum, &c.* Quid plura? Voluſianus converſus eſt & baptizatus & non diu poſt ſumpto ſanctiſſimo Viatico obiit. Hoc ex incidenti, particularium enim in ſimilibus hiſtoriarum finis non eſſet: ut igitur magis generaliter Monachicæ vitæ per exemplum efficacia probetur, audiatur Gregorius, ubi Symmacho *vid. prælud. in lib. 8. de vitis Patrum.*

defen-

defenſori mandat providere locum aptum in
Lib. 1. Ep. 50. Corſicâ Inſulâ, *ut illic*, inquit, *Monachos tranſmittamus, quatenus Inſula ipſa quæ Monaſterium, nunc uſque non habuit, ex hujus converſationis viâ meliorari debeat.* Sicut etiam revera S. Joannes Eleemoſynarius in civitate ſua Alexandrinâ expertus eſt, quæ ex duobus ibidem
vita ejus cap. 44. Monaſteriis, ut præfatum, conſtructis, *ad ſimilitudinem Monaſterii penè vivebat, in diverſis locis pervigiles hymnodias Deo referens.*

Circa initium decimi ſæculi, naſcentis familiæ Cluniacenſis exemplo plerique nobiles ſcelerum pertæſi, de ſæculi fugâ cogitare cœperunt. In his Geroldus Saxoniæ Ducum familiâ oriundus cum utroque filio. Quid de Ciſtercienſium Religione, quâ teſte Hieronymo
Lib. 2. cap. 22. Plato Societatis JESU, *nulla nobilior*, dicam. quorum exemplo, ſi Baronio credimus profecerant Epiſcopi Provinciæ Senonenſis, adeo ut Aulam Regiam deſerentes ad Eccleſiam quiſ-
ad an. 1127. que ſuam declinarent? *In eorum excellentiſſimâ converſatione quam univerſa mirabatur Eccle-*
Richard. in Ep. Turſtini. *ſia, totius Evangelii veritas ita eluxit, ut ſi dici fas ſit, utilius eſſet eos imitari quam Evangelium legere. Innumeros ſuæ religionis & formæ imitatores habent*, inquit, Anſelmus Havelbergenſis.
Dial. l. 1 Et Jacobus Cardinalis à Vitriaco: *Famâ & opinione ſanctitatis eorum quaſi ex odore unguenti adeo repleta eſt tota domus Eccleſiæ JESU Chri-*
Hiſtor. Occid. cap. 14. *ſti, quod non eſt provincia vel regio, ad quam vinea illa benedicta palmites ſuos non extenderit,*

Ad

—*Ad mortifera circumquaque venena*, ut habet Alexander III. pellenda, *flores proferens & odores diffundens.* Et in vitâ ſancti Bernardi aſſeritur quod *uſque ad barbaras nationes in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exuit humanam, Religio hæc profecta eſt, ubi per eam beſtia ſylvæ homines ſiunt, & cum hominibus aſſueta converſari, diſcunt cantare Domino canticum novum.* Unde non immerito Innocentius III. ut reſtituerentur Ciſtercienſes in partibus Græciæ prope Theſſalonicam; ad Abbatem & fratres de Locedio, ita ſcribit; *Nos volentes ut Ordinis Ciſtercienſis religio, quæ tanquam vitis abundans palmites ſuos longe lateque diffundit, & velut lucerna non abſconſa ſub modio perlucidos radios claritatis oſtendit, in illis etiam partibus propagaretur; ut oves quæ de novo ſunt in unum reductæ, Patrem qui in Cœlis eſt glorificent, cum latinos viderint ſanctioris vitæ propoſitum elegiſſe: ut temporibus noſtris melius in partibus illis Religio Chriſtiana proficiat, & inſtituta regularia per nos de die in diem propagentur, & amplius & fortius convaleſcant.*

Ep. ad cap. Gen.

Lib. 1. cap. 13.

Liceat ergo concludere juxta illa Chryſoſtomi verba: *Luminaria ſunt Monachi, ſublimi de loco navigantibus fulgore ſuo iter aperientes, omnes ad quietem ſuam invitantes ac pertrahentes, neque naufragium pati ſinentes eos qui ſe intuentur*, Monaſterium eſt vox continuè clamantium in deſerto: *Parate viam Domino, rectas facite ſemitas ejus, pœnitentiam agite, qui*

hom. 14. in 1. ad Tim. &c.

vult venire poſt me abneget ſemetipſum, &c. Quam merito igitur Caniſius Societatis JESU inſignis Theologus ſimiles prædicatores optabat, ita ſcribens ad S. Ignatium: *Vellem ut omnes qui venturi ſunt ad hoc collegium fundandum, accederent armati ſanctâ patientiâ, & maximo ardoris zelo, non ad diſputandum ſed ad tolerandum, & ad ædificandam hanc Provinciam magis factis quam dictis.*

CAPUT IX.

Tertius modus, quo ſilentes Monachi uſque nunc concionantur.

SEd quid dicemus, de Monachorum arte, quâ & Dei Eccleſiam & Rempublicam ditarunt tot libris, qui interiiſſent nec unquam imprimi potuiſſent, niſi Monachorum operâ & ſcripti & ſervati fuiſſent? de ſancti Martini Monaſterio legitur: *Ars ibi exceptis ſcriptoribus nulla habebatur.* Idem in pluribus aliorum Sanctorum vitis invenitur, artem ſcilicet ſcriptoriam viguiſſe in Monaſteriis non modo virorum, ſed etiam fœminarum, quâ in re excelluerunt ſancta Melania de qua ſupra, ſancta Cæſaria Soror ſancti Archi-Epiſcopi Cæſarii, &c. In conſuetudinibus vero D. Guigonis Carthuſianorum legislatoris ita jubetur: *Libros tanquam ſempiternum animarum noſtrarum cibum cautiſſime cuſtodiri, & ſtudioſiſſime volu-*

Vit. S. Mart. cap. 7.

cap. 28.

mus

mus fieri: ut quia ore non poſſumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros ſcribimus tot nobis veritatis præcones facere videmur ſperantes à Deo mercedem. Eodem modo S. Petrus Venerabilis, ubi Giſſeberto recluſo commendat antiquarii opus, ait, *ſic planè, ſic verbi Domini poteris fieri taciturnus prædicator, & linguâ ſilente, in multorum populorum auribus manus tua clamoſis vocibus perſonabit.* Similia habet Caſſiodorus aſſerens præterea quod tot *vulnera ſatanas accipit, quot antiquarius Domini verba deſcribit.*

Famoſus vero Trithemius etiam poſt Typographiæ inventionem ſingulari opuſculo fratres ſuos invitat ad eundem laborem, qui ſancti Benedicti diſcipulis adeo familiaris fuit, ut ferè quidquid apud antiquos eruditum & ſcitu dignum, quidquid apud Patres pium & ſapientiâ plenum, quidquid in Conciliis ſanctum, quidquid in libris Sacris Divinum eſt, totum id per Monachorum manus, adhæc uſque tempora pervenerit. Et omnibus notum eſt, quid uſque hodie debeatur ejuſdem ſancti Patris Diſcipulis pro tam ordinatâ & ad manuſcripta correctiſſimâ editione omnium Sanctorum Patrum, ita ut *nimium ingrati ſimus*, prout merito aſſerit Merlo-Horſtius, *ſi hos eruditionis traduces,* adde, & hos veritatis præcones, *minus veneramur.* *Not. ad S. Bern. ep. 29.*

CAPUT X.

Quod tamen Ordo Monaſticus Eccleſiæ etiam ſubminiſtraverit optimos verbi Divini præcones & Præſules.

§. I.

Plurimi libri à Monachis compoſiti fuerunt ac innumeri Monachi ad Epiſcopatum aſſumpti.

cap. 38. S*Apientia ſcriba*, ait Eccleſiaſticus, *in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet.* Quod veriſſimum eſt de vitâ Monaſticâ, quæ eſt vacuiſſima & tranquilliſſima, maxime remota à ſollicitudine & illa turbatione erga plurima, dum per ipſum opus manuũ, quo ibidem ſalubriter exercetur corpus ut quieſcat, ſi indiget, animus, tendatur per mor-

Luc. 10. tificationem ad ſcientiam crucis & ad *unum ne-*

Eccle. ſup. *ceſſarium*; *in operatione artis accommodando animam per deprecationem*, quâ attrahitur Di-

Vitæ l. 1. vina Sapientia & *conquirendo in lege Altiſſimi.*

cap. 4. Unde Bernardus, *qui joco ſuo illo gratioſo inter amicos dicere ſolebat, ſe in ſcripturis nullos aliquando magiſtros habuiſſe, niſi quercus & fagos*; ad quemdam qui propter ſtudia Monaſterium

ep. 106. intrare differebat, ſic ſcribit; *ſed tu frater, qui*

ut

ut andivi Prophetas legis,putas intelligis quæ legis? nam ſi intelligis, ſentis utique ſenſum propheticæ lectionis eſſe Chriſtum, quem videlicet ſi apprehendere cupis, citius illum ſequendo quam legendo conſequi potes.. .O ſi te unquam in ſchola pietatis ſub magiſtro JESU merear habere ſodalem! ô ſi mihi liceat purificatum prius tui pectoris vaſculum ſupponere unctioni quæ docet de omnibus...... experto crede, aliquid amplius invenies in ſylvis quam in libris: Ligna & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis.

Quid igitur mirum, ſi ſapientiſſimi quique ex clauſtris vel ſolitudine prodierint, ita ut è quatuor Doctoribus latinæ Eccleſiæ, tres Monachi, & libri in Monaſteriis non tantum transſcripti, ſed plurimi etiam compoſiti fuerint: *Contemplatio* quippe, cui Monachi profeſſio tota applicatur, *virtus eſt per quam non ſolum ipſa ſcriptura condita recognoſcitur, ſed per quam nondum condita conderetur.* *S. Greg. in c. 7. lib. 1. in Reg. 3.*

Similiter quamvis *Monachus non docentis ſed plangentis habeat officium debeatque ſedere & tacere, juxta* Bernardum aſſerentem quoque quod *labor & latebra & voluntaria paupertas ſint Monachorum inſignia:* Deus nihilominus qui humiliantes ſe exaltat, noluit ut ſemper in noviſſimo loco ſederent Monachi, ſed ſicut ab initio filium ſuum ejuſque Præcurſorem de deſerto vocavit, ſic & innumeros de ſub clauſtri modio extraxit, atque ut toti prælucerent Eccleſiæ effecit, oſtendens vitam ſolitariam juſti- *S. Hier. cont. Vigil. c. 6 Epiſt. 397. & vid. ep. 89. 323. ſerm. 64. in Cant. ep. 42.*

ad an. 328. 529. de miracul. S. Mart. lib. 2. cap. 40. hom. 25. ad Monach. c. XI.

liſſimam eſſe,ita ut Baronius aſſerat, *negari non poſſe monachiſmum locuples ſeminarium in Eccleſiâ Dei Sanctorum Epiſcoporum extitiſſe. Quæ eſſet civitas aut Eccleſia*, ait S. Gregorius Turonenſis, *quæ non ſibi de Martini Monaſterio cuperet habere Sacerdotes?* Et Cæſarius Arelatenſis de Abbatiâ ſuâ Inſulæ Lærinenſis: *hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes provincias erogat Sacerdotes.* Et Poſſidius in vitâ Auguſtini : *Ex Monaſterio quod per eum & eſſe & creſcere cœperat magno deſiderio poſcere atque accipere Epiſcopos & Clericos pax Eccleſiæ atque unitas & cœpit primo & poſtea conſecuta eſt... ſimiliterque & ipſi ex illorum Sanctorum propoſito venientes Domini Eccleſiis propagatis & Monaſteria inſtituerunt, & cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt. Unde per multos & in multis non ſolum per omnes Africanas partes, ſed etiam in tranſmarinis partibus, &c.*

Aſſerant alii Summos Pontifices, Siricium, Innocentium, Bonifacium, Gelaſium uſum eligendi Monachos ad Epiſcopatum ſuis decretalibus approbaſſe, adferant Honorium Imperatorem teſtatum fuiſſe, *quod Epiſcopos ex Monachorum numero rectius ordinabunt*, producant Concilia quæ decernunt ex certis Monaſteriis aſſumendos Epiſcopos; numerent quot Summos Pontifices, quot Epiſcoporum millia Eccleſiæ Dei dederit, ſolus Ordo ſancti Patris Bene-

Benedicti; ego unicum allego ejuſdem fidelem filium, qui ingreſſus Monaſterium *eo tempore abſconditum ac penè nullum ſpe delitescendi & latendi tanquam vas perditum*; ac conſequenter præclara ſua talenta ſanctè abſcondendi, quinque Epiſcopatus oblatos fortiter recuſavit, & de ſolâ domo ſuâ Eccleſiæ dedit adhuc vivens Summum Pontificem, quatuor Cardinales, ac præter duos ex iiſdem Epiſcopos, alios numero quatuordecim.

Vit. S. Bern. l. cap. 4. ibid. l. 2. cap. 8. & Alan. vita ejuſdem. cap. 20.

§. II.

Plurimæ nationes per Monachorum legitimè Vocatorum prædicationes ad fidem & unitatem adductæ.

QUi Annales Eccleſiaſticos vel Monaſticos legerint, norunt quot ſæculis Regimen Eccleſiæ ſteterit præcipuè penes Monachos, Benedictinos nominatim ac Ciſtercienſes: adeo ut non immerito Baronius poſtremum hunc ordinem vocet *pharetram*, ex quâ Dominus pro neceſſitate eduxit ſagittas electas, demonſtratque idem Cardinalis quod ſicut ſanctus Bernardus extinxit ſchiſma Petri Leonis, ita S. Petrus Tarentaſienſis cum ſuo Ciſtercienſi Ordine aliiſque compeſcuerit illud Octaviani, de quo ipſe Alexander III. qui in litteris Canonizationis Bernardum pronuntiarat, *omnibus Eccleſiæ filiis in memoria habendum ac devotione*

ad an. 1160.

perpetuâ venerandum, ita ſcribit ejuſdem Ordinis Capitulo generali: *cum omni gratiarum actione recolimus, quam inviolabili firmitate fluctuantem Petri naviculam fidei veſtræ anchora ſervavit in turbine, qualiter etiam frequens orationum inſtantia quaſi iterum dormientem in eâdem naviculâ Salvatorem ingruente ſuſcitaverit tempeſtate: ita ut ſæpenumero magnitudine ſtupefacti miraculi & ipſum glorificemus.... & vos penitus venerabiles habeamus, quorum nobis ſuffragantibus meritis cæleſtis creditur placata majeſtas, &c.*

Quas igitur grates Ordini Monaſtico non etiam deberent fideles, ſi ineffabilem fidei theſaurum condigne æſtimarent. Nam ut taceam quid ab initio pro conſervatione & augmento fidei in Oriente præſtiterit ut videre eſt in vitis SS. Antonii, Hilarionis, Pachomii, Aphraatis, &c. ut ſileam Caſſinates ad fidem converſos per S. Benedictum, Hiſpanos per S. Leandrum, cui etiam debetur liber S. Gregorii Moral. in Job. Anglos per S. Auguſtinum alioſque Monachos ab eodem SS. Papâ illuc miſſos (qua propter & pleræque hujus gentis Cathedrales Eccleſiæ à Benedictinis poſſidebantur) Belgas per SS. Amandum, Trudonem, alioſque; Danos & Suecos per S. Anſcharium, Sclavones, Waredones, &c. per S. Adalbertum; ut hæc & plura talia prætercam: certum eſt ex hiſtoriis, totam penè Germaniam, Bohemiam videlicet, Auſtriam, Bavariam, Saxoniam, Weſtpha-

phaliam, Pomeraniam, Friſiam, Thuringiam, Franconiam, Haſſiam, Buchoniam, pleraſque partes Rheno & Danubio conterminas à Monachis ab Idolorum cultu expugatas & ad fidem Catholicam adductas fuiſſe. An non id ipſum teſtantur, quæ adhuc ſubſiſtunt & contra hæreticos pro argumento ſunt, Monaſteria ab ipſis illarum Provinciarum & Gentium Apoſtolis exſtructa ſeu inſtituta? ut ut ſit, *nullæ ferè barbarorum nationes*, ut habet Bolandus, *Chriſto addictæ, niſi aut Monachorum operâ, aut mox Monachorum domiciliis per ipſos earum Apoſtolos erectis, ut eſſent veluti plantaria, unde novi identidem ſalutaris doctrinæ magiſtri educerentur.* *ad 7. Jan.*

Nempe Monachi ſe ipſos abnegando & mundana omnia arbitrando ut ſtercora *ſeparant pretioſum à vili*, & ſic juxta promiſſionem Jeremiæ factam, *quaſi os Domini ſunt*, ita ut convertantur infideles ad eos; vel ut verbis Innocentii III. utar, *tanto ſunt ad confutandos fabricatores perverſorum dogmatum aptiores, quanto minus in eis quod reprehendere valeat, valebit æmulus invenire, cum bonum teſtimonium habeant ab his etiam qui ſunt foris, quod in eis vita Sanctorum, ſana doctrina concordet, & non minus vivificet vita doctrinam, ut ſit videlicet ſermo eorum vivus & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.* Ante dixerat, *multi in ordine veſtro reperiuntur habentes zelum Dei ſecundum ſcientiam potentes in opere* *cap. 15. ad Abb. Ciſt. an. 1204.*

& ſermone, & parati de eâ quæ in nobis eſt fide & ſpe omni poſcenti reddere rationem, in quibus etiam eam vigere credimus charitatem, ut animas ſuas pro fratribus ſuis ponant, ſi neceſſitas Eccleſiæ poſtulaverit. Quæ verba innuunt ſine hac vocatione Monachum debere perſiſtere in clauſtro, & tendere ad charitatē illam qua majorem nemo habet non per media, quæ aliqui,
Hiſt. Angl. circa an. 1249. cum teſte Mathæo Paris, ab alumnis religionū ad ſtudia vel prædicationem deſtinatarum tanquam idiotæ irriderentur, amplexi ſunt, & propterea deviantes à ſemitis antiquis, paterniſque traditionibus ad nihilum redacti; ſed per Regulæ ſuæ exercitia *affligendo corpus*, ut habet idem Papa in alia ad quinque Abbates Ciſt. Ordinis Epiſtolâ, *Vigiliis quaſi continuis, aſſiduis Jejuniis, operibus charitatis, ſedendo ſecus pedes Domini humiliter cum Maria, & Martha ſollicitudinem piis operibus adjuvando:*
Ep. 81. qui ſemper parati ſint neceſſitatibus Eccleſiæ, ſi vocentur, occurrere juxta illud Auguſtini: *Vos autem fratres exhortamur in Domino ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & uſque in finem perſeveretis, ac ſi quam operam veſtram mater Eccleſia deſideraverit, nec elatione avidâ ſuſcipiatis, nec blandiente deſidiâ reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo, cum manſuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet manſuetos vias ſuas: nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent,*

quo-

quomodo naſceremini non inveniretis. Non eſt tamen cur hodie, ubi tam multorum cupiditas, præſumptio , ambitio Eccleſiæ neceſſitates præoccupant, Monachi timeant ne ad animarum curam trahantur; ſed tantum abeſt ut propter ſolitudinis quietem inutiles cenſeri queant, ut econtra plerique alii propter ſolitudinis defectum revera inutiles omnino exiſtant. Interim an parva rurſus utilitas quod per Monaſteria à civitatibus remota ſæpe habeatur opportunitas ſuſcipiendi extrema Sacramenta in caſibus quibus omnis Sacerdos poteſt & debet ſuccurrere periclitantibus?

CAPUT XI.

Variæ aliæ Monaſteriorum utilitates breviter memorantur,

PLures aliæ Monaſtici Ordinis utilitates adferri poſſent. Quomodo enim non perutiles Eccleſiæ, qui Chriſti vitam atque Evangelium factis ſuis aſſiduè pro modulo confirmare ac proteſtari conantur; qui Eccleſiaſtici jejunii & Chriſtianæ pœnitentiæ antiqua veſtigia, ſpecimenque in Eccleſiâ retinent, qui virtutis publicas Scholas aperiunt, qui religionis præcipuum officium, Dei ſcilicet cultum, quanta poſſunt religione celebrant, corpore & animo in perfectum laudis Sacrificium contrito & mactato? Quomodo non utilis

Serm. 3. *in Circumciſ. Dom.* *vit. S. Ant. cap.* 14. *Ep.*70.

lis *acies ordinata*, ſicut Bernardus vocat Monachorum congregationes, quæ quodammodo detinent, ut ita dicam, phalangas dæmonum ne in cæteros Chriſtianos adeo ſævire poſſint? nam *hoſtile illis odium eſt maximè contra Monachos & Virgines Chriſti.* Hinc S. Auguſtinus hanc pugnam tribuit ſpecialiter Monachis ad Comitem Bonifacium ita ſcribens: *adderem ut jam ei vita vacares in ſocietate Sanctorum, ubi in ſilentio pugnant milites Chriſti, ut expugnent Principes & poteſtates & ſpiritualia nequitia, id eſt Diabolum & Angelos ejus. Hos enim hoſtes ſancti vincunt quos videre non poſſunt, & tamen quos non vident vincunt, iſta vincendo quæ ſentiunt.*

Quî poſſibile ut non utile ſit azylum ſeu ad innocentiam conſervandam pro iis præſertim qui inter hominum converſationes vel mundi pericula in ea perſeverare non poſſent; ſeu ad amiſſam reparandam per dignos fructus pœnitentiæ in Monaſterii latebris, ubi tanquam in civitatibus refugii quaſi abſconduntur peccatores à facie furoris Domini? quam multis eſſet adhuc ſalutis initium vox illa ad Arſenium: *fuge, tace, quieſce: fuge homines & ſalvaberis,* cum juxta Antonium tribus ad minimum eripiamur in ſolitudine hoſtibus, auditus, locutionis, & viſus! ſed nunquid Monaſteria non ſunt etiam xenodochia, ſive pii Samaritani ſtabula, in quibus animarum vulnera & morbi curantur? an non ſunt quoque carceres, quaſi nomi-

nomine S. Bernardus, qui & ipſe ſicut & plures alii latronem ſuſpendio jam proximum ſuſceperunt ſuũ Monaſterium vocat, in quos criminoſi detruduntur vel ſe ipſos conjiciunt quoad vixerint cruciandos, ſicque à punitione vel maledictione quam peccatis ſuis forte attraxiſſent, ſicut fecit Achan ſuper Iſraëliticum populum, fideles cæteri feliciter liberantur ? denique idem S. Pater Claramvallem ſuam eſſe aſſerit fortalitium ſive civitatem munitam, in quam Dominus *prædam multam quam hoſtibus eripit, ſolet inducere, habens fiduciam multam in ejus fortitudine, ac optimos inde ſingulis annis, & pretioſos in oculis ſuis reditus accipiens.* Simili modo S. Petrus Cluniacenſis, Monaſterium ſuum vocat, *ſingulare ac commune peccatorum refugium per quod multa inferis damna illata, & regnis cœleſtibus quam plurima loca collata ſunt.* *Ser. 1. in Dedic. Eccleſ.* *Joſue 7. cap. ibidem ſerm. 3.* *Lib. 1. mirac. cap. 9.*

Similia plura addere liceret, niſi ex allegatis ſatis conſtaret quam iniqui ſint Judices qui corporis curam vel commoda, exigui dominii vel honoris acquiſitionem, imo paucorum denariorum lucellum inter utilia computant, interim dum media illa ad animæ ſanitatem, ſalutem, gloriam, divitias & ad regnum ſempiternum inter inutilia cenſent. Sed hæc eſt ſapientia carnis juxta Ambroſium docentem, *honeſtum eſſe non poſſe niſi quod utile, apud quam utilitas pecuniaria iſtius commoditatis pluris habetur; non ſapientia qua in Deo eſt, apud quam,* *Lib. 3. off. c. 3.*

quam ea quæ in hoc ſæculo magna æſtimantur pro detrimento habentur.

CAPUT XII.

Quod Monaſteria etiam Reipublicæ ſint perutilia, ac imprimis exonerandis familiis ac præparando habitationes.

CUm ſuperius utilitate ſpirituali hominibus Monachos profuiſſe ac prodeſſe ſufficienter monſtratum credamus, ita etiam non minus temporali hominum neceſſitati auxiliatrices manus hilariter præbuiſſe ac præbere tempus eſt ut quoque demonſtremus, & primo quidem occurrit quanta ſit illa commoditas familias à nimietate prolium exonerari, dum Monaſteria legitimè vocatas in ſinum ſuum charitativè recipiunt atque enutriunt. Videtur illa Superiori ſæculo non parum moviſſe Auguſtiſſimum Cæſarem Ferdinandum II. ut monialium Monaſteria in primævâ & antiquâ fundatione conſervari juberet, ſed cum experientiâ quotidianâ evidentior ſit quam ut probari indigeat, ad alteram progrediamur utilitatem, nimirum quomodo *qui poſuit terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea*, bona converſatione Monachorum: econtra provincias fere totas incultas & in ſolitudinem redactas habitabiles reddiderit, quas

vide litt. datas ad Oratorem ſuũ Romæ 25. 8bris 1629.

Pſ. 106.

quas ipſi oppidis, vicis impleverunt & ornarunt ædificiis? *Tam innumerabiles*, ait S. Auguſtinus, *aggrediuntur hanc viam, ut deſertis divitiis & honoribus hujus mundi, ex omni hominum genere uni Deo ſummo totam vitam dicare volentium, deſerta quondam Inſulæ ac multarum terrarum ſolitudo compleatur.* Et Chryſoſtomus: *ſi quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudines paradiſo quovis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus*: ita ut ipſe diabolus Antonio improperaret; *Solitudines Monachorum ſtipantur choris*; & Athanaſius aſſerat quod ſolitarii, vel ſancti Antonii Abbatis diſcipuli, *infinitam regionem quamdam incolere viderentur.* Sed ad quid plura etiam deſuper, cum & in hiſce Provinciis videre ſit multas civitates quæ originem ſuam non debent niſi Monaſteriis, à quibus & nomen retinuerunt?

Libro de moribus Eccleſiæ.

vit. Ant. cap. 20. cap. 21.

CAPUT XIII.

Monaſteria Reipublicæ utilia propter hoſpitalitatem & largas Eleemoſynas.

§. I.

MAgis fortaſſe placebit & movebit ſi ad miſericordiæ opera per quæ ſocietas inter membra Reipublicæ vel ipſa vita humana ſuſtentatur, deſcendero. Hæc Dominus apud

Iſaiam

Iſaiam comprehendiſſe videtur his verbis:
cap. 58. *frange eſurienti panem tuum & egenos vagoſque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum & carnem tuam ne deſpexeris.* Conſtat autem tam ex veteri quam ex novo teſtamento fideles olim ſollicitâ curâ ſe invicem
Hebr. hoſpitio excepiſſe. *Hoſpitalitatem,* inquit, A-
cap. 13. poſtolus, *nolite oblivisci, per hanc enim latue-*
1. ad *runt quidam, Angelis hopitio receptis.* Et vi-
Tim. 5. duam bene meritam commendans, *ſi hoſpitio,*
Tract. 58 ait, *recepit, ſi Sanctorum pedes lavit*; & S. Au-
in Joan. guſtinus ſuper illa verba Chriſti; *ſi ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter, debetis & vos alter alterius lavare pedes,* aſſerit quod *faciunt hoc ſibi invicem fratres etiam opere ipſo viſibili, cum ſe invicem hoſpitio recipiunt.*

Similibus pleni ſunt cæteri ſancti Patres, ſed hiſce ſæculis adeo refrigeſcente charitate, fra-
Clem. ternitatis illud officium vix ullibi amplius ex-
VIII. hibetur præterquam in Monaſteriis, quæ Re-
anno gulam profitentur purè Monaſticam, prout
1594. experientiâ notum eſt. Quantum autem inter-
Alex. ſit Reipublicæ publica & communia pro iti-
VII. *an.* nerantibus habere hoſpitia evidentius eſt quam
1666. ut probari debeat, dummodo frugalitas à ſum-
vid. S. mis Pontificis ſanctiſque Patribus tantopere
Baſil. o- commendata exactè ſervetur. Non ſolum au-
rat. 16. tem in hoc, ſed & in aliis miſericordiæ operi-
Reg. fuſ. bus ſpecialiter præcelluiſſe videntur ſolitarii
20. ab ipſis inſtituti ſui cunabulis. Cujus rei illu-
S. Ephr. ſtre fert teſtimonium S. Athanaſius in vitâ
&c.

S. An-

S. Antonii dicens: *Erant igitur in monte Monaſteria tanquam tabernacula plena divinis choris pſallentium, legentium, orantium, tantumque ſtudium jejunandi, & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus ſermo ejus afflaverat, ut futuræ ſpei aviditate ad charitatem mutuam & miſericordias indigentibus exhibendas jugi ſtudio laborarent.* *cap. 21.*

Item de Ægyptiis Monachis narrat Ruffinus in vitâ Serapionis miranda plane miſericordiæ opera quæ proveniebant de labore manuum (de quo etiam hodie Monachi à non paucis reprehenduntur quamvis ab omnibus Religioſorum Regulis commendato & Sanctorum Conciliorum Authoritate probato, etiam in Clericis & ipſis Epiſcopis) ſic itaque Ruffinus: *Ex laboribus propriis, quos præcipuè meſſis tempore, mercede manuum conquirebant, partem plurimam... in uſus pauperum deſtinabant.... hoc autem moris erat cunctis penè Ægyptiis Monachis, ita ut non ſolum regionis ipſius indigentes alantur, ſed & Alexandriam naves frumento onuſtæ dirigantur, vel in carcere concluſis, vel reliquis peregrinis atque egentibus proroganda, &c.* Hanc autem laudabilem Monachorum charitatem viguiſſe teſtatur etiam S. Auguſtinus, ubi Manichæorum hypocriſi veram Eccleſiæ ſanctitatem ex ejus temporis Monachorum pietate partim probatam opponit, ſic ſcribens: *Quicquid ſane neceſſario victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus*

vid. Conc. Cartha. 4. c. 52. Turon. 2. cap. 7. Capitul. Theodulphi Aurelianenſis &c. vitæ Patrum lib. 2. c. 18.

de morib. Eccleſ.

manuum, & epularum reſtrictione) tantâ curâ egentibus diſtribuitur, quantâ non ipſis qui diſtribuunt comparatum eſt. Nullo modo namque ſatagunt ut hæc ſibi abundent; ſed omni modo agunt ut non apud ſe remaneat quod abundaverit, uſque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant quæ inopes colunt; non opus eſt plura de re notiſſima dicere.

Nec hæc gloria Orientalibus ſolis remanſit, tranſivit namque cum monachiſmo in Occidentem miſericors in pauperes animus. Certè S. Benedictus non ſolum exemplo ſuo docuit, verum etiam pauperum & peregrinorum cu-
cap.4. & 53. 55. &c. ram in Regulâ non ſemel ſpecialiter ſuis inculcat: ita ut hæc ſancti Patris Doctrina Regulæ ſuæ alumnis tam altè impreſſa remanſerit, ut, præter conſuetas & quotidianas in veſtibus & cibis ad portam Eleemoſynas, alii decimam, alii quintam omnium proventuum ſuorum partem pauperibus aſſignarint. De Monaſterio ſuo Cluniacenſi teſtatur S. Petrus Abbas,
Lib. 4. Ep. 37. *à ſui principio factum eſſe non ſolum externorum hoſpitium, non tantum confugientium Azylum, ſed ut ſic loquar*, ait, *publicum Reipublicæ ærarium.* In eodem, *ſeptemdecim millia pauperum uno die*, inſtante quadrageſimâ Eleemoſynam
Udalric. conſuet. Cluniac. l.3. cap. XI. acceperunt, *quibus & in Chriſti nomine* 250. *baccones*, id eſt *petaſones*, *diviſi ſunt.* Octodecim item pauperes quotidie in eodem Monaſterio nutriebantur ultra diſtributionem trium præbendarum & triginta librarum tortæ. *Eleemoſy-*

moſynarius ſemel in hebdomadâ totam villam perluſtrabat quærens ſicubi pauper aliquis jaceret ægrotus, & ſi maſculus erat, ipſe viſitaturus, intrabat; ſi fœmina, ſtabat ad oſtium, & famulum ad eam mittebat cum pane & vino & cum aliis ſpeciebus, quas meliores potuerat habere. cap. 42.

Nec minus celebris fuit Monachorum in Germaniâ erga pauperes charitas, ad quam probandam referri poſſent mira, quæ de operibus miſericordiæ leguntur in ſtatutis antiquis S. Adalardi Abbatis Corbeienſis, aliorumque: ſed quo evitetur prolixitas, ſufficiat hic teſtimonium Generale Dominici Gravinæ Ordinis Prædicatorum de Monaſteriis in Germaniâ qui ſic habet. *Sunt in ſolâ Germaniâ Cœnobia Monachorum, quæ octo & decem millia aureorum in pauperes erogant. Xenodochia paſſim occurrunt quorum infirmi eorum expenſis paſſim recreantur. Ter Generales Eleemoſynæ ſexcentis & amplius diſtribuuntur: uberiores vero Anniverſariorum tempore juxta fundatorum intentionem profunduntur. Certis quoque anni temporibus quinque vel ſex millia hominum, ſæpè quatuor millia etiam foventur. Quis ſecretas recenſeat iis ſecreto datas, qui mendicare erubeſcunt, Virginibus præſertim nobilibus, viduis, afflictis, pauperrimis ſed nobilibus viris? in iis quoque charitatis affectus propenſior, quorum fortuna vel dejectione vel flammis, aliiſve innumeris calamitatibus abſumpta, &c.*

§. II.

Famis præſertim tempore Monaſteria utiliſſima.

MOnachorum vero in pauperes miſericordia nunquam magis elucet quam famis tempore, quorum etiam charitatem non raro Deus miraculis probavit, ita ut cænobia tunc eſſent quaſi granaria publica multique qui alias fame periiſſent, illorum Eleemoſynis à miſera morte liberati fuerint. Adduci hic poſſet quomodo ſimilibus temporibus ad ſublevationem pauperum Monachi diſtraherent quæcumque in Eccleſiâ vel alibi habebant pretioſa, ſpoliando etiam Sanctorum Martyrum feretra, circumdata laminis ex gemmis auro, argento, quas vendebant, prout nominatim factum eſt Divione in Burgundia ſub Abbate Guilielmo de Feretro S. Benigni, in Anglia de Feretro S. Albani ſub Abbate Gaufrido, &c. Inter quæ illud quoque eſt memorabile quod S. Odilo Cluniacenſis Abbas, præter calices, ipſam S. Henrici Imperialem coronam in uſus pauperum confringi fecerit, *indignum judicans talia denegare pauperibus, pro quibus effuſus eſt ſanguis Chriſti.* Cujus etiam mentis fuit ejuſdem ſancti in dignitate Abbatiali Succeſſor, S. Hugo dum aſſerebat, aurum & argentum *melius impenſa, quam ſervata rutilare, ac juxta Ambroſii teſti-*

Matt. Pariſ.

vita ejus cap. 17. vid. S. Ambr. offic. lib. 2. cap. 28

teſtimonium, tunc eſſe vere Calicem Eccleſiæ, cum calix a fame vel ab hoſte redimit, quos ſanguis calicis à morte liberavit. Sed ne propter abundantiam proventuum, quorum ſaltem fundus Monachis illis manebat, dici queat: *omnes hi ex eo quod abundabat ſibi miſerunt*, ſicut dicebat Chriſtus reſpiciens, *eos qui mittebant munera ſua in Gazophylacium divites*, & iis præferens *viduam pauperculam mittentem æra minuta duo*, quia *de penuriâ ſuâ omnia quæ habuit miſit*; hinc de egenis & quaſi adhuc naſcentibus cænobiis duo vel tria ex centũ pono exempla, quæ narrantur iñ libro omnium penè manibus trito. *Marc. 12. & Luc. 21.*

Itaque refert Cæſarius Heiſterbacenſis Monachus in Dialogis de Monaſterio ſuo, illo nimirum de cujus fundatione cum plurimi obmurmurarent, optabat Philippus Archi-Epiſcopus Colonienſis ut *in qualibet villâ Diœceſis* talis fuiſſet conventus, *quo melior eſſet ſtatus Eccleſiæ ſuæ. narrat*, inquam, præfatus Author quod *fame illâ validiſſimâ, quæ an.* 1197. *contigit Domus Heiſterbacenſis, licet tunc temporis pauper & novella aliquando una die mille quingentis ſubvenit. Domnus Gerardus tunc Abbas ſingulis diebus ante meſſem, in quibus carnibus uti licèbat, bovem unum in tribus Caldariis cum oleribus circumquaque collectis coqui juſſit, & cum pane per ſingulos dies diviſit. Simile factum eſt de omnibus aliis pulmentariis, ſicque per gratiam Dei omnes pauperes ſupervenientes uſque ad meſſem ſuſtentati ſunt. Eodem tempore* per- *diſt. 4. cap. 65.* *ibidem cap. 64.* *cap. 66.*

 git

git idem Author, *Domus Himmenrode mater noſtra, non minorem charitatem, imò tanto majorem, quanto ditior fuit, pauperibus exhibuit. Alia* item Domus Ciſtercienſium *in Weſtphalia ante meſſem ob pauperum neceſſitatem pecora etiam occiderat, calices & libros oppignoraverat, &c.*

cap. 67.

Crevit quoque in hoc ordine in tantum miſericordia in pauperes, ut non contenti memoratis miſericordiæ operibus, intra ipſa Monaſterii ſepta conſtruxerint Xenodochia pro pauperibus infirmis, curam illorum ſollicitè tam quoad corpus quam quoad animam gerentes. Verum tepeſcente forſitan in Monaſteriis diſciplinâ, refriguit quoque charitas, ceſſaruntque magnâ ex parte tanta miſericordiæ opera ſumptibus ad hæc neceſſariis, ſive in ſuperiorum & inferiorum luxum converſis, ſive à rapacitate ſæcularium conſumptis; juſto enim Dei judicio accidit, (ſi viro in Monaſticis doctiſſimo credimus) *ut regulâ vel monaſticâ diſciplinâ ſemel violatâ, neceſſe ſit temporales quoque facultates peſſum ire.* Hinc rectè Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus: *inter tot ſacræ profeſſionis injurias, hoc etiam præjudicio Reſpublica premitur, ut quia Monachi ab infeſtatione Ordinis non abſtinent; ab infeſtatione Monachorum Sæculares minimè abſtineant: Res ſanctuarii rapinis expoſitæ, diſpoſitæ flagitiis exterius violentia, vinolentiâ & petulantiâ interius atteruntur, &c.*

vid. privil. Nicol. IV.

In præfat. ad tom. 4. act. Sanctorum Ord. Bened.

epiſt. 38. ad Engoliſm. Antiſtitem.

CAPUT

CAPUT XIV.

Quantum valeant Monachi ad obtinendam de hoſtibus victoriam.

§. I.

Quibus armis Monachi prælientur.

SEd cum hæc de qua ſupra utilitas miſeros & egentes præcipuè ſpectare videatur, alia memoranda eſt gloriofior, quæ beneficio ſuo omnes conſtringit, pauperes ac divites, Principes æquè ac ſubditos; præclara nimirum de hoſtibus reportata victoria piis Monachorum precibus à Domino Deo Exercituum concivibus ſuis toties impetrata. *Moyſes*, ait Ambroſius, *cum taceret clamabat, cum otioſus ſtaret præliabatur, ſed etiam de hoſtibus quos non contigerat triumphabat. Adeo otioſus, ut manus ejus alii ſuſtinerent, nec minus quam cæteri negotioſus, qui otioſis manibus expugnabat hoſtem, quem non poterant vincere, qui dimicabant. Ergo Moyſes & in ſilentio loquebatur, & in otio operabatur... & quoniam pleroſque delectant bellica, quid eſt præſtantius, exercitûs magni lacertis, an ſuis meritis confeciſſe prælium?* Sic igitur Monachi in tanto confratrum ſuorum periculo nec otioſi nec inutiles, ſed cum Moyſe in monte ſtantes ac manus in cælum levantes, offic. lib. 1 cap. 1.

Chriſtianæ militiæ robur de cælo ad hoſtes repellendos feliciſſimo ſucceſſu advocant: ita ut de illis haud ineptè illud Cantici Debboræ ap-
Judic.c.5 plicari poſſit: *Nova bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubvertit...., De Cælo dimi-*
1.Cor. *catum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine &*
15. *curſu ſuo.... pugnaverunt.* Stellæ nomine, quemadmodum apud Paulum ſancti, ſic hic aptè intelligendi veniunt Monachi, qui in ordine ſuo & curſu manere cenſentur, quamdiu Regulæ & Diſciplinæ ipſis à Sanctis traditæ indeclinabiliter adhærent, jejuniis, orationibus, Hymnis & Canticis in ſilentio cum cordis contritione Domino Deo univerſorum fideliter & perſeveranter famulantes; tunc haud dubiè brachium Domini de cælo, qui pro confratribus eorum dimicet, & *voluntatem timentium ſe faciat*, impetrare valebunt.

2. Para- Ita de victoriâ pii Regis Joſaphat legitur:
lip. 20. *Nolite timere nec paveatis hanc multitudinem.... non eritis vos qui dimicabitis..... Cumque* Cantores Domini *cæpiſſent laudes canere & voce conſonâ dicere: Confitemini Domino quoniam in*
ibid. c. *æternum miſericordia ejus, convertit Dominus*
13. *inſidias hoſtium qui egreſſi fuerant, ut pugnarent*
Joſuæ *contra Judam in ſemetipſos, & in ſemetipſos verſi*
cap. 6. *mutuis concidère vulneribus.* Et quid hic Can-
Judic. tica, quid in exercitu Abiæ, in obſidione Hie-
cap. 7. richo, & in militibus Gedeonis tubæ vel buccinæ & lampades aliud ſignant, quam piorum preces vitæque ſanctæ fulgorem, quæ Omnipoten-

potentem Deum ad opem ferendam potenter
excitant ? Propterea mandat ipſe Deus : *ſi exie-* *Num.*
ritis de terrâ veſtrâ contra hoſtes qui dimicant *cap. 10.*
adverſum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit
recordatio veſtra coram Domino Deo veſtro , ut
eruamini de manibus inimicorum veſtrorum. *1. Ma-*
Non enim *in multitudine exercitus victoria bel-* *chab. 3.*
li, ſed *de cælo fortitudo eſt*, & *Domini eſt magnifi-* *1. Paral.*
centia & potentia & gloria atque victoria, qui non *29.*
ſecundum armorum potentiam, ſed prout ipſi pla- *2. Ma-*
cet dat dignis victoriam. *chab. 15*

Hæc primorum Chriſtianorum pro impe-
rio arma fuere quibus hoſtes aggrediebantur.
Cum enim exprobraretur ipſis illa, quæ à qui-
buſdam nunc Monachis inutilitas, juberen-
turque arma capeſſere, imperio ſuppetias latu-
ri; Reſponderunt, *ſe ferre auxilia ſed divina,* *Orig. lib.*
& laborare ſe pro Imperio Romano, dum juſtè vi- *8. cont.*
ventes pro eo vota facerent. Hæc quoque Mo- *Celſ. &*
nachorum arma, unde ſanctiſſimus Papa Gre- *alii; vide*
gorius deterrens Mauritium à lege, qua ſtatue- *Card.*
rat ne milites in Monaſteriis ſuſciperentur, ne *Bonam*
forte Imperator id ſtatuiſſet, quia timeret exer- *Rer.*
citum ſuum decreſcere, ſi milites Monachi fie- *Lit-*
rent , inter alia motiva hoc quoque allegat: *turg. lib.*
Tunc magis Dominorum , id eſt Imperatorum, *2. c. XI.*
exercitus contra hoſtes creſcit, quanto Dei exer- *lib. 2.*
citus ad orationem creverit. Et poſtea *nunquid* *Ep. 61.*
per virtutem militum ſubjugavit ei Omnipotens *ibid. Ep.*
Deus Imperium Perſarum? *64.*

§. II.

Victoriarum per preces & merita obtentarum exempla.

AT licet plurimi Chriſtiani ſub paganis etiam Imperatoribus militaverint, multo magis precibus ſuis quam gladiis profuiſſe legimus. Celebre eſt Chriſtianæ legionis, ab eventu poſtmodum fulminantis dictæ, factum, qui videntes Romana Caſtra, immensâ barbarorum multitudine obſideri, ſimul etiam ob aquæ defectum durâ premi ſiti, nec jam in armis ſpem ullam relictam eſſe ſalutis, triumphantibus jam hoſtibus non tam de victoriâ quam de prædâ ferarum more, inter caſſes concluſa; poſitis in terram genibus, fusâque ad Deum ferventi oratione fulgure & fulmine grandine & tempeſtate à Deo impetratis, Barbaros in fugam compulerunt, unoque miraculo à duplici inimico hoſtis ſcilicet & ſitis Romanos liberarunt; Demonſtrante Deo pietatem, ut ait Apoſtolus *ad omnia*, imò ſuper omnia, *eſſe utilem*, ac proinde qui eam ſincere colunt mundo inutiles nunquam eſſe poſſe.

vitæ PP. lib.9.c.1. Legimus in vitâ S. Jacobi Niſibitæ Authore Theodoreto, quod cum Sapores Rex Perſarum exercitu numeroſiſſimo ingentique apparatu civitatem Niſibim diu obſediſſet, tandem everſis civitatis mæniis jam jam capiendam

dam ſperabat, cum cives ſalutari arrepto conſilio, pro muro Jacobum ex Monacho factum Epiſcopum oppoſuerunt, qui precibus obtentâ cynium & culicum nube, illam immiſit in hoſtes, ac ſic caſtra confuſione replevit: viſuſque S. Jacobus ſuper ſemirutum murum purpurâ coronâque redimitus, creditus à Sapore Imperator, obſidionem ſolvere reque infectâ diſcedere coëgit.

Relatu dignum quod in Actis Sanctorum Joannis & Cyri narratur de Theodoſio Imperatore, cui cum hoſtibus congreſſuro quidam ſolitarius Senuphius nomine ab eo accerſitus, ſed non veniens tranſmiſit baculum ac caputium, aſſerens quod modo pro galeâ caputium pro gladio baculum acciperet, certiſſimè victoriam reportaret ſine ullâ ſuorum amiſſione quod & factum. *vid. Baron. ad an. 387. Boll. ad 31. Jan.*

Idem piiſſimus Theodoſius ſanguinem innoxium Valentiniani Imperatoris in Eugenium Tyrannum vindicaturus, nota ſuffragia B. Joannis Solitarii prius expetivit, quæ quam felicia ipſi fuerint narrant etiam Ethnici, fateri coacti in illo prælio Deum pro dilecto ſuo Theodoſio pugnaſſe: non ſolum enim hoſtium tela turbine abrepta in ſeipſos retorquebantur, ſed & fulmine & horrendâ tempeſtate confuſi proſtratique ſunt hoſtes, ut canit Claudianus Poëta Ethnicus:

O mi-

O nimium dilecte Deo cui militat æther
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

lib.2.c.1. De eodem S. Joanne Solitario refert Ruffinus in vitis Patrum, quod cum *Gens Æthiopum Romanum militem circa Cyrenem incurſaret & ſtrages plurimas dediſſet, venienti ad ſe Romano Duci & metuenti confligere cum eis, quod exiguus ei erat militum numerus, & hoſtis innumera multitudo, Joannes ſtatutum deſignans diem, perge, inquit, ſecurus, die enim qua dixi & hoſtem proſtrabis & ſpolia capies.*

Lib. 2. c. 36. & Baron. ad an. 398. Narrat Oroſius, quod *Maſcezil generalis exercitus Imperatoris Honorii, jam inde à Theodoſio ſciens quantum in rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti impetraret, Caprariam Inſulam adiit, unde ſecum ſanctos ſervos Dei aliquot permotos precibus ſuis ſumpſit. Cum his orationibus, jejuniis, Pſalmis dies & noctes continuans, cum quinque millibus hominum ſuperavit ſeptuaginta millia.*

Eâdem ſpe Solitariorũ piis precibus victoriam Boll. XI. Jan. obtinendi motus *Kerricus Romani Exercitus Dux incurſionem facturus in Perſas adiit primũ ſanctum Theodoſium Cœnobiarcham, à quo audivit nec ſperare in arcu nec ponere ſalutem in gladio, neque in multorum hominum millibus:* ſed Comes arrepto omnis armaturæ loco viri Dei cilicio, hocque indutus, *conſueta aggreſſus certamina, paulò pòſt victor rediit.*

Quid non profuit Auſtriæ S. Severinus Monachus

nachus illiuſque regionis Apoſtolus, qui ad inſtar alterius Eliſæi prædebat ſuis omnia Barbarorum ſecreta conſilia?

Pulchro & exemplo & eventu docuit nos S. Anno Colonienſis Archi-Epiſcopus quantum fiduciæ in piorum Monachorum orationibus ponendum ſit. Hic per plures annos cum Rege Auſtraſiæ *concertationem habens, ſemper velut ad turrem fortitudinis recurrens, Sigebergenſium fratrum preces in auxilium aſcivit. Unde quodam tempore fratribus in horti culturâ generaliter repertis, vos clypeus meus eſtis, vos præſidium meum, nulla mihi ſpes in militibus meis, in fide loquor, major mihi eſt fiducia in vobis quam in illis omnibus. His dictis profectus eſt ad Regem, qui à fervore cordis ſui deſiſtens, quaſi divinitus impulſus ſurgens, oſculum pacis ei cum magnâ dilectione porrexit.* *Sur. 4. Xbris.*

Si Doctiſſimo ſimul ac piiſſimo Merloni-Horſtio credimus; *S. Bernardus etſi in Galliis agens, velut alter Moyſes extenſis in cælum manibus Regi Alphonſo in Luſitaniâ Scalabim munitiſſimam Saracenorum urbem oppugnanti ſuppetias & victoriam contulit, idque quia nominis ejus famâ permotus Alphonſus, opem illius, licet tanto intervallo diſtantis, imploraverat.* *Nota in Epiſt. 419. S. Bern.*

Notum eſt quomodo idem S. Abbas Ranulpho Duci ejuſque Catholico exercitui victoriam prædixit, ſchiſmatico autem Regi Siculo confidenti in multitudine exercitus, fugam; quod & accidit viro ſancto orationi inſtante, *vitæ ejus lib. 2. cap. 7.*

ſtante,

ſtante, ita ut ipſe Dux perſequens hoſtem, viſo Monacho de equo deſilierit, & ejus pedibus advolutus dixerit; *Gratias ago Deo & fideli ſervo ejus, quia non noſtris viribus ſed ejus fidei collata hæc victoria eſt.*

Chronic. lib. 7. cap. 21. Quam utiles Galliæ regno fuerint Monachi refert de ſuo ævo Otho Friſingenſis Epiſcopus ſancti Leopoldi filius dicens: *Tot præliis & incendiis diſcrimina perpeſſa eſt Gallia, quod niſi Religioſorum qui ibi morabantur meritis, orationibus & conſilio pacata fuiſſet, uſque ad internecionem deleta putaretur.*

Dialog. diſti. X. cap. 46. Quæ de piâ fide Richardi Regis Angliæ erga Ciſtercienſes Monachos refert Cæſarius Heiſterbacenſis, non incongruum erit hic ponere. *In primâ expeditione Hieroſolymitanâ,* inquit, *Richardus Rex Anglorum cum multitudine peregrinorum copiiſque maximis transfretavit. Die quadam circa crepuſculum orta eſt in mari tempeſtas validiſſima, ita ut naves procellis concuſſæ & vi ventorum impulſæ mortem omnibus intentarent, Rex vero ſicut & cæteri mortem ante oculos habens totâ illâ nocte clamavit: O quando erit tempus in quo Griſei Monachi* (hoc nomine Ciſtercienſes deſignabantur) *ſurgere ſolent ad laudandum Deum, tanta enim bona illis feci, ut non dubitem quin mox ut cœperint pro me orare, Dominus nos reſpicere debeat. Mira fides Regis, quam evidenti miraculo Deus remuneravit. Nam circa Octavam,* id eſt, *ſecundam horam noctis, tempore matutinali*

tutinali Monachorum ſurgentium Dominus orationibus excitatus, & ipſe per potentiam conſurgens, imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ita ut omnes de tam ſubitâ maris immutatione mirarentur.

Imò nec in hac parte Reipublicæ defuit Monaſtici Ordinis Sexûs ſequior, qui non minus quam viri orationibus ac meritis concives ſuos protegebat. Et ne quid dicam de famoſiſſimo illo ſanctæ Claræ, quæ & ipſa inter ſolitarias computari debet, facto contra Saracenos Aſſiſianam civitatem jam invadentes; illuſtre hujus rei teſtimonium fert ſanctus Gregorius Magnus, ubi de Ancillis Dei, quas Græci Monaſticas vocabant, nos autem nunc Moniales, quæ Romæ erant ad tria millia quibus largas Eleemoſynas impertiebatur, ait, *harum vero vita talis eſt, atque in tantum lachrymis & abſtinentiâ diſtricta, ut credamus quia ſi ipſa non eſſent, nullus noſtrum jam per tot annos in loco hoc ſubſiſtere inter Longobardorum gladios potuiſſet.* *Reg. lib. 6. Epiſt. 23.*

Cum longum nimis foret plura exempla recenſere, ſit coronidis loco quod habet S. Ambroſius de S. Acholio prius Monacho deinde Theſſalonicenſi Epiſcopo, de cujus obitu ſic ſcribit: *Itane ergo nobis raptus eſt, murus fidei, gratiæ & ſanctitatis, quem toties ingruentibus Gothorum catervis, nequaquam tamen potuere barbarica penetrare tela, expugnare multarum Gentium bellicus furor; Denique in cæteris popula-* *Epiſt. 159.*

pulatores locis, illic pacem rogabant mirantibuſque quid ſibi ſine milite ullo obſiſteret. A prudentioribus intimabatur Eliſæi intus imitatorem degere, ætate ſupparem non imparem ſpiritu; caverent ne exemplo Syriaci Agminis ſibi quoque cæcitas offunderetur. Et tamen circa diſcipulos ſuos diverſa dona Chriſti ſunt. Eliſæus quidem in Samariâ captivas acies induxit Syrorum. Sanctus autem Acholius precibus ſuis fecit, ut de partibus Macedoniæ victores fugaret.... urgebat & præliabatur S. Acholius non gladiis ſed orationibus, non telis ſed meritis. An incognitum nobis eſt dimicare ſanctos etiam cum ferientur? Nonne otioſus erat Eliſæus? otioſus ſcilicet corpore, ſed vibrabat ſpiritu, & orationibus præliabatur, quando in caſtris Syriæ vox equitum & vox virtutis magnæ audiebatur, unde perculſi magno fugerunt pavore.... Nonne in Macedonia ſimilia Dominus per orationes S. Acholii fecit miracula aut prope majora? non enim inani metu nec ſuperflua ſuſpicione, ſed ſæviente luè & ardenti peſtilentiâ perturbati Gothi ac territi ſunt. Denique tunc fugerunt ut evaderent, regreſſi poſtmodum pacem rogaverunt ut viverent? &c.

Sed non omittendum quod ſicut Monaſticæ vitæ Profeſſores utiles exiſtunt etiam ad victoriam, illis qui hanc profeſſionem ut decet venerantur; ſic ejuſdem contemptus multis extitit cauſa oppreſſionis & cladis. Hinc Salvianus

Maſſi-

Maſſilienſis Epiſcopus fusè deplorans, quod ævo ſuo Monachi ab Afris ita deſpicerentur, devaſtationem quam Africa pluſquam per centum annos à Wandalis paſſa eſt, deſpectui illi adſcribit, inter cætera ſic dicens: *Et miramur ſi nunc barbaros*, illi Afri, *perferunt, cum videamus quod Sancti Viri in illis barbaros pertulerunt?* Similiter cum anno 807. Mauri à Gallis totaliter cæderentur, plurimaque alia damna perferrent, *ipſi ſibi hoc accidiſſe teſtabantur*, ait Annaliſta, *pro eo quod anno ſuperiori contra omnem juſtitiam de Patelariâ Inſulâ ſexaginta Monachos aſportatos in Hiſpaniam vendiderunt.*

de gubern. Dei lib. 4.

Eginth. ad an. 807.

CAPUT XV.

De aliis generaliter Monachorum in Rempublicam utilitatibus.

INnumera ſunt exempla beneficiorum omnis generis, Reipublicæ piis Monachorum precibus & meritis impetratorum, & ſuperfluum arbitramur in re tam notâ plura hic adducere. Increduli adire poterunt vitas & Patrum in deſerto & aliorum Sanctorum Monachorum in quibus invenient, quomodo probi ſolitarii ſive Monachi cum Jacob contra Deum fortes fuerint, cum Moyſe Deum placaverint, cum Davide peſtilentiam ſuſtulerint, cum Eliâ pluviam & reliqua ad avertendam

Digitized by Google

ſamem impetrarint, cum Eliſæo ſterilitatem terræ & aquæ amaritudinem ſanarint, cum Sampſone & Daniele Regiones à leonibus, draconibus vel malis beſtiis liberaverint, cum Prophetâ Amos locuſtas aliaſque ſatorum agreſtiumve laborum plagas averterint, cum Paulo naufragos ſervaverint, cum Patriarchis denique Prophetis Apoſtolis quævis mala amoverint, omnis generis bona procuraverint: ita ut non immerito Ruffinus non ſemel aſſerat, quod *dubitari non debeat ipſorum meritis adhuc ſtare mundum.* Cui etiam concinit ſupra laudatus Otho Friſingenſis ſic ſcribens: *Ex peccatorum noſtrorum multitudine haud diu ſtare poſſe mundum putaremus, niſi Sanctorum meritis vera civitatis Dei Civium, quorum in toto orbe copioſa, varie & pulchrè diſtincta florerent collegia, ſuſtentaretur; diverſos Religioſorum Ordines quorum ut dixi ſanctitate à miſericordiſſimo Judice malignitas mundi ſupportaretur ſilentio præterire incongruum arbitramur, &c.*

Præf. in lib. 2. & 3. ad vitas Patrum

Chron. l. 7. c. 34.

Recolat qui de his ambigit quomodo Abrahamo intercedenti pro Sodomâ adjacentibuſque civitatibus, reſponderit Dominus: *Si invenero Sodomis quinquaginta juſtos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.* Et infra, *non delebo propter decem. Circuite vias Hieruſalem*, dicebat Deus, Hieremiæ vaticinanti exterminium Hieroſolytanum, *& aſpicite & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem, & propitius ero ei*, ſcilicet civitati. Opti-

Gen. 18.

Hierem. 5.

Optimè igitur Ottoni Imperatori reſpondit S. Guibertus Abbas Gemblacenſis, apud eundem falſo cum ſuis accuſatus: *Gaudendum eſſe Imperiali Majeſtati, quod temporibus imperii ſui Divina miſeratio oſtium miſericordiæ ſuæ voluerit patefacere, dum tales aliquot viros dignatur mundo tranſmittere, qui digni ſint exaudiri pro ſtatu Reipublicæ.* Maxima ſanè miſericordia, dum tales oratores dignatur Reipublicæ concedere, ob quorum bona opera patienter ſuffert pravorum mala, qui *aſcendunt ex adverſo,* tenentes eum *ne iraſcatur furor ejus* & deleat malos. Conqueritur ipſe miſericordiarum Pater nolens mortem peccatoris, dum tales non invenit, *quæſivi de eis virum,* inquit, *qui interponeret ſepem & ſtaret oppoſitus contra me pro terrâ ne diſſiparem eam, & non inveni.* Cum autem ipſe Propheta per quem Deus loquitur, talis vir eſſet, interpretes ferè conveniunt, per virum intelligi debere aliquem juſtorum numerum, ut ſupra v. g. de Sodomis; quamquam ad Loth deprecantem pro Segor reſponſum fuerit: *Etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem pro qua locutus es.* Conſultiſſimè equidem proborum fiunt juſtorumve congregationes, *eſto ad imitandum paucis,* ut habet Paſcharius Nannetenſis Epiſcopus, *ad intercedendum tamen omnibus indigenis illius terræ.* Quamquam enim toti orbi proſint, ſpecialius tamen illis locis, in quibus habitare illos voluit, ſuavis Dei Providentia, cum juxta

Act. SS. Ord. S. Bened.

Ezech. 13.

Exod. 32.

Gen. 19.

Jer. 29. Hieremiam ex parte Domini Iſraëlitis loquentem de civitate etiam inimicâ Idololatricâ, illorum locorum pacem quærere debeant & pro eis orare. ſimili modo ſingulariter magis proſunt iis, quorum liberalitate ac Eleemoſynis fundantur & ſubſiſtunt. Et hinc forte S. Osvvaldus Eboracenſis Archi-Epiſcopus Ducem Ailvvinum inſtruens aſſerere videtur id quod Merlo Horſtius latius probat ex Hieronymo, Bernardo, Suarez, ſcilicet majoris eſſe meriti conferre Eleemoſynam Monachis vere pauperibus, quam vulgi mendicantibus, poſtquam *Nota in Ep.* 96. *S. Bern.* enim ſanctus Duci ſuaſerat, ut, *quia falsâ rectitudinis ſpecie etiam bonæ intentionis nonnunquam acies obumbratur, Eleemoſynarum largitionibus & pauperum miſericordiis exceſſus hujuſmodi meminiſſet redimendos*; proſequitur aptiſſimè ad propoſitum noſtrum: *ut autem evidentioris Conſilii habeas incitamentum, advertat prudentia tua, quoniam qui ſæculo renuntiaſſe & voluntariam pro Chriſto paupertatem amplecti videntur, illi ſoli liberi, ſoli quieti ſunt, & ab eo cui nos expoſiti ſumus terrenæ ſollicitudinis periculo ſingulariter alieni. Horum meritis commota nonnunquam ſuperni Judicis compeſcitur ira, ſententia mutatur, ſalubris conceditur aër, provenit copia frugum, fames & peſtes refuga cedunt, Regnorum Reſpublica gubernatur; pateſcunt carceres, ſolvuntur vincti, naufragi relevantur, curantur ægroti, debiles convaleſcunt, & ut totum comprehendam, Divinâ licentius, imo ve-*

ſanius

ſanius abutens patientiâ tota univerſaliter per eos per durat fabrica mundi. Si igitur charisſimè in aliquo juris tui territorio locum Monaſticæ Religionis profeſſoribus haberes idoneum, ibi ad honorem Dei *Monaſterium conſtruendum, & ad obſequium divinum viros Sanctos laudarem congregandos, quorum precibus & defectus ſuppleri, & peccata tua poſſent expiari : ego nempe & cooperationi vires impenderem & impendio adjicerem facultates, &c.*

CAPUT XVI.

Quod ob perſpectam Monachorum in Rempublicam utilitatem Imperatores Reges, Principes Magiſtratus iiſdem ſemper faverint.

CONſiderantibus quanta (ut ſufficienter monſtraſſe nos credimus) ſint Solitariorum in Rempublicam merita, qualeſque fructus, haud peregrinum apparebit, ſi quaqua patet Chriſti fides, ibidem etiam & palmites ſuos extendiſſe inveniatur Ordo Monaſticus. Pii enim fideles quibus inſederat timor Dei, & quorum mentes divina fides illuſtraverat, ritè ſecum reputantes quam graviter ſuperna majeſtas pravis hominum actibus offenderetur, atque ad iracundiam provocaretur primo quidem precatores ſibi conciliare ſtuduerunt, quorum interceſſione propriorum delictorum

remiſſionem obtinerent, juxta illud Domini
Gen. 20. ad Achimelech de Abrahamo: *Orabit pro te*
Job. 42. *quia propheta eſt & vives*; & illud ad amicos Job:
Job ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia. Per quæ
Quæſt. 149. in Exod. teſte Auguſtino, *admonemur cum merita noſtra nos gravant ne diligamur à Deo, relevari nos apud eum illorum meritis quos diligit.* Ac deinde cum quotidie famis, belli, peſtis, aliiſve flagellis ad caſtigationem peccatorum mundus prematur; tanquam murum irato numini opponere voluerunt pios Monachorum cætus, quorum exemplo mundus ad meliora traheretur, pœnitentiâ expiaretur, meritis ac precibus protegeretur ac neceſſariis ad ſubſiſtentiam
Aug. ſer. 226. de temp. donis recrearetur: *Oratio quippe juſti clavis eſt Cœli, aſcendit oratio & deſcendit Dei miſericordia.*

Hinc eſt quod in ipſo monachiſmi exordio, hujus ſancti inſtituti tam Authores quam ſequaces, Chriſtiani Imperatores omni benevolentiâ & honore proſecuti ſunt. Et non ſolum Conſtantinus Magnus, qui tunc temporis orbi præerat & in Nicæno Concilio proteſtatus fuit ſe ſuâ chlamyde obtecturum Monachum ſi peccantem videret, ſed & filii ejus ſummâ veneratione S. Antonium in remotis Ægypti ſolitudinibus latitantem coluerunt, Monachoſque beneficiis ſibi demeruerunt, quorum precibus ſe & Imperium protectos iri firmiter, ut ex propriis eorum Epiſtolis patet, ſperabant:

Manda-

Mandatumque quod urbium præfectis de annonâ ex publicis granariis præbendâ Monachis ordinaverant, primo ab impio Apoſtata Juliano ſublatum, ab ejus ſucceſſore Joviniano reſtitutum fuit.

Notus eſt erga Monachos piiſſimorum Theodoſiorum Imperatorum eximius favor, ita ut de priore affirmet Auguſtinus, *quod in anguſtiis curarum ſuarum non eſt lapſus ad curioſitates illicitas, ſed ad Joannem in Ægypti Eremo conſtitutum*, & Aula Junioris vix non Monaſterii faciem habuerit. Nec hi tantum, ſed & pii ſucceſſores omnes Monaſtici ſtatus fautores æque ac æſtimatores ſemper fuerunt, vel ſi perſecutores inter Imperatores invenit Monachiſmus, tales fuêre, qui Dei etiam & Sanctorum hoſtes ſe exhibuerunt, ut viſum eſt in Arianis & Iconoclaſtis.

de civit. Dei lib. 5. c. 26.

Quid non laboris, benevolentiæ ac ſumptuum Carolus Magnus & filius ejus Ludovicus Pius Monachis impenderunt? an non deficientem vitæ Monaſticæ puritatem omni niſu, congregatis etiam Conciliis, conati ſunt revocare? hic eſt Carolus ille, qui ex fundatione & dotatione Monaſteriorum tantum ſibi conflavit meriti, ut, ſicut in vitâ cujuſdam ſancti refertur, conqueſtus fuerit diabolus, quod ligna & lapides Divini Judicii ſtateram deprimendo animam Caroli ſibi præripuiſſent. Hic in Monachos tantâ devotione ferebatur, ut ſancti Benedicti Monachorum in Occidente legis-

Similiter in vita S. Ludgaridis legi-

legiſlatoris principalem ſedem inviſere, & Monachorum Choris miſceri ac fraternitati ſociari voluerit, idemque fecit Altefatus filius ejus Ludovicus, ſub quo Aquiſgranenſe Concilium ſcriptum reliquit, *Copioſioribus* Monachos, qui ſibi nihil proprium reliquerunt *Eccleſia ſumptibus*, quam Canonici, qui ſuis *& Eccleſia utuntur rebus, indigere.*

Nec minori devotione Ordinem Monaſticum proſecutus eſt S. Henricus Imperator, S. Benedicti in monte Caſſino veneratus ſanctas reliquias, à quo *tempore*, ut in ejus refertur vitâ, *ſpeciali quâdam dilectione & veneratione ſancto Benedicto affectus fuit*, & *omnibus Monaſtica Religionis cultoribus ſtuduit deſervire*, hac eâdem dilectione, & devotione ductus Monaſterium Cluniacenſe cujus tunc celebre erat ſanctitatis nomen inviſit fraternitatique Monachorum adſcriptus, Imperatoris magnificentiæ & munificentiæ præclara poſt ſe reliquit veſtigia, non ibi ſolum ſed inſuper in Monaſteriis Leodienſis & Trevirenſis Patriæ.

De Principibus ſui ævi ſic habet Bernardus: *nonne nos & in ipſis laboribus noſtris honeſtamur? nonne & hac vilitas, hac deformitas, hac ſemicinctia* (Ciſtercienſium vilem habitum deſignans ſicut & alibi) *honorantur & adorantur à Principibus terra? va nobis ſi*, &c. In cujus etiam ſancti vitâ aſſeritur quod *Beatos ſe æſtimarent Reges Gentium, & Præſules Eccleſiarum, civitates & Regiones quæcumque de diſciplinâ*

viri

tur quemdam fuiſſe damnandum niſi exſtruiſſet Monaſterium. Item & in fundationibus S. Thereſiæ de alio qui ex purgatorio liberari non potuit niſi dictâ primâ Miſſa in Monaſterio à ſe exſtructo, &c.

cap. 115. de div. ſerm. 21.

Lib. 1. c. 13.

viri Dei meruiſſet contubernium aliquod adiſpiſci. Quanti autem Monachorum fraternitatem fecerint Potentiſſimi & Sapientiſſimi Reges teſtes ſunt ejuſdem ſancti Doctoris Epiſtolæ, teſtis & piiſſimus Galliæ Rex S. Ludovicus, qui, relictis etiam Regalis in Monachos munificentiæ immortalibus monumentis, cum Matre ſuâ Reginâ Blanchâ Capitulum generale Ciſtercienſe adiit, & perſonaliter petiit illorum fraternitati uniri. Imo quotquot olim aliarum Gentium Reges & Principes fidei Catholicæ ac pietatis cultores fuerunt, iidem ſemper & Monachos beneficiis affecerunt: unde factum eſt, ut quod in Prophetâ Iſaiâ de Eccleſiâ dicitur, illud ipſum de ſtatu Monaſtico ſpeciatim dici poſſit: *ſuges lac gentium & mamillâ Regum lactaberis.* Perlegat qui voluerit hiſtorias Imperatorum Romanorum, Regum ac Principum, Germaniæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Hungariæ, Poloniæ, Italiæ, Galliæ &c. vel cum Bruſchio Provincias illas percurrat, inveniet quaque verſum præclara Monachorum Cœnobia, nec non pietatis & ſtudii erga Monaſticum Ordinem munimenta Imperatorum, Regum, Principum & Nobilium, qui ea ampliſſimis muniêre privilegiis, & plenariâ ac perpetuâ ab omnibus vectigalibus, Teloniis, ſimilibus tributis exemptione donaverunt Regiâ authoritate.

vid. Epiſt. 45. &c.

an. 1244

cap. 60.

Sentiebant proculdubio hi omnes quod de ſolitariorum inſtituto ſenſit Juſtinianus Impera-

peratof, qui in favorem Monaſticæ vitæ plura ſtatuit, & quodam loco ſic habet : *Singularis*
Nov. 133. *vita hujuſque contemplatio res plane eſt ſacra, & quæ ſuapte naturâ animas ad Deum adducat; & non tantum juvans eos qui ad hanc accedunt, ſed etiam aliis omnibus pro ejus puritate & ſupplicatione ad Deum, præbens inſpectam utilitatem, unde & priſcis Imperatoribus ſtudii fuit, & à nobis non pauca ſancita ſunt de eorum honeſtate & ornatu.* Inferius Paulo utilitatem illam his explicat verbis : *Si enim illi puris manibus & mundis animabus pro Republicâ ſupplicent Deo, manifeſtum eſt quod & exercitus habebunt benè, & civitates benè diſponentur. Deo quoque placato & propitio exiſtente, quomodo non univerſa plena totius pacis & devotionis? ſed & terra nobis feret fructus, & mare quæ ſua ſunt dabit, illorum oratione propitiationem Dei ad omnem Rempublicam deducente, ſed & ipſum commune ſchema hominum reverentius erit, & vivet melius, illorum erubeſcens perdurationem.*

Quid proximè elapſo ſæculo pro reſtitutione antiquarum fundationum Monaſticarum, quas habet *ut fulcra quibus* ante earum ruinam *Eccleſiâ innixâ eſt*, præſtiterit Fernandus II. quid hodiedum adhuc pro eodem ſtatu piiſſimi quidam Principes præſtent, notius eſt quam ut referre neceſſe ſit non mirandum interim ſi Auguſtiſſimi Principes, non minus vitæ me-

rito

rito quam gloriâ & potentiâ ſæculari conſpicui Monachos quaſi abjectos & mundo abſconditos tanto dignentur honore. toto quippe corde Deum diligere cupientes, quo eodem potiantur, nihil ſibi negligendum putant. Atque in hunc effectum opem illorum qui pro ejus amore omnibus renuntiarunt utilem ſibi fore exiſtimantes, omni illos honorum ac beneficiorum genere ſibi demereri ſatagunt, ac *ſicut ulmus vitem*, prout humiliter de ſe dicit præclarum Domus Auſtriacæ decus S. Leopoldus, de ſuâ *facultate eos qui vere Deo fructificant, ſuſtentantes, fructûs* eorum juxta Gregorium *ſuos efficiunt*, prudenter unà facientes ſibi amicos de mammonâ iniquitatis ut recipiantur in æterna tabernacula. & quomodo non reciperentur qui tantopere ſibi devinxerunt eos ad quos illa ſpecialius ſpectare affirmat S. Hieronymus quoſque S. Laurentius Juſtinianus aſſerit eſſe *Angelorum ſocios, amicos Sponſi, Altiſſimi Filios?*

In diplo. fund. mon. S. Crucis hom. 20. in Evang. contra Vigil. cap. 6. de vitæ ſoli. c. 6.

CAPUT

CAPUT XVII.

Quod, ut Monachi Eccleſiæ ac Reipublicæ proficiant, vivere debeant juxta ſuam profeſſionem, à quo tamen ſæpè retrahuntur ab iis qui hoc objiciunt.

VErum ne Monachis nimium adulari videar, ſecundò jam diſſimulare nequeo laudatum proximè ſanctum Patriarcham adjicere: *Si tamen concordent profeſſio & vita, converſationis ſinceritas ſæculique contemptus.* Ex quo colligitur Monachos ut utiles cenſeri & exiſtere poſſint, debere vivere juxta ſtatum & Regulam ſuam. Idipſum inſinuat Concilium
cap. 3. Tridentinum loco ſupra citato, ſed evidentius Auguſtodunenſe ſub S. Leodegario Epiſcopo & Martyre habitum, quod poſtquam mandaverat à Monachis Regulam ſancti Benedicti *in omnibus cuſtodiri*, protinus addit: *Si enim hæc omnia fuerint legitime apud Abbates vel Monaſteria conſervata, & numerus Monachorũ Deo propitio augebitur & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas, malis carebit contagiis.* Hinc S. Wolffgangus *videns Ratiſpone*, ut ſcribitur, *Monaſtica vita irreligioſitatem, crebro dixiſſe fertur: Si Monachos haberemus reliqua ſatis ſuppeterent.* Cum-

vita ejus 31. Oct.

que

que ei reſponderetur: per multa loca Monachos ſuperabundare, lacrymans reſpondit: *O quam defecit ſanctus, ô quam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, quid prodeſt ſanctitatis habitum ſine operibus geſtare? Regulares Monachi beatis æquiparantur Angèlis, ſæculares Monachi Apoſtatis, &c.*

Quapropter merito magnus ille jam citatus Monachorum amicus S. Osvvaldus, qui in ſolâ ſuâ Diœceſi ſeptem Monaſteria, ejectis Clericis, conſtruxit, ac in aliis etiam Angliæ partibus inſignes eis Eccleſias procuravit ita ſuos adhortabatur: *Veſtra intereſt ſingulorum ut corporaliter ditati, ſpiritualem à nobis inopiam, bonorum operum exercitiis propulſetis.... ſtudete fratres Chariſſimi, ſtudete Ordinis obſervationem, reddite gratanter vota quæ labia veſtra diſtinxerunt, vacate orationibus, paci mutuæ & dilectioni operam date, incentiva laſcivæ carnis vigiliis & parcimoniæ frœno refrenate animas veſtras ut decet ſanctos à terrenorum cupedine cohibete bona quæ habetis tranſitoria in uſu non in affectu poſſidete, illam quam extrinſecus habitu prætenditis intrinſecus religionis veritatem moribus exhibete.* Similiter Eugenius III. ſuorum Ciſtercienſium Capitulo generali ſcribens, ſeque eorum orationibus enixè commendans, adjungit: *ut autem apud eum de orationibus veſtris promptam ſemper valeamus invenire fiduciam, & quod noſtris meritis non valemus, veſtris interceſſionibus aſſequamur; optamus*

Epiſt. 273. inter Bernardinas.

optamus charitatem veſtram de his quæ ad Deum ſunt, de obſervantiâ Ordinis, de cuſtodiâ diſciplinæ ita ſemper fore ſollicitam, & contemptis quæ retro ſunt, ita ſe in anteriora unumquemque veſtrum extendere, ut nulla nubes in operibus veſtris appareat, quæ orationes veſtras quo minus ad Deum penetrent, valeat aliquando præpedire. Hæc quidem pro Monachis, ne
Matt.5. *ſint ſal infatuatum, quod ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* at tu qui alienæ, Monaſticæ nimirum, quæ ad te non pertinet, converſationis es fortaſſis curioſior explorator, ut ejuſdem profeſſores arguas inutilitatis; putaſne te prodeſſe poſſe ſi juxta ſtatum tuum non vixeris? nihilominus quotus quiſque eſt Chriſtianorum, ne dicam Religioſorum vel Presbyterorum, qui primitivæ Eccleſiæ ſanctimoniam, ſive avitum propoſiti ſui fervorem hactenus retinuerit? nullus ordo, nullus ſtatus, nulluſve locus à generali corruptela ex integro immunis eſt, neque ullum vitæ genus probabimus, ſi propter malos oderimus & bonos. Et de probis Monachis illud audeo dicere, nullum eſſe in Eccleſiâ ſtatum qui ad primigenios Inſtituti ſui mores poſtliminio redire ferventius contendat, & indies fieri melior, tu tantum noli adverſari aut malis nimium favendo, aut bonis pervexas circa temporalia ſive etiam ſpiritualia, ſuſcitando negotia; quibus detenti ſuperiores, meliorationi ſuorum, prout oportet intendere neque-

nequeunt. Interim hic notaſſe quoque juvabit iniquitatem judicii, quo præ cæteris monachiſmum profeſſis inutiles proclamantur illi qui primævum fervorem revocare nituntur, Cum hos ſolos utiles eſſe ex præallegatis pateat.

CAPUT XVIII.

An ſaltem non eſſent utiliores Monachi, ſi contemplativæ vitæ activam jungerent.

§. I.

Ut quis curæ animarum ut decet vacare poſſit requireretur ut eſſet perfectus, & ad id à Deo vocatus, neutrum eſt Monachus quâ talis.

vid. S. Thom. 2. 2. q. 24. a. 8. & 9. q. 81. a. 1. O. 5. q. 181. a. 10. & ad 3. q. 182. a. 2. ad 1. q. 185. a. 5. O. q. 188. a. 8 Quodl. 3. q. 6. a. 17. ad 6. & 5.

QUamvis Angelicus Doctor quoque vitæ ſociali vel activæ præferre videatur ſolitariam ſive contemplativam, tamen nolim hic eſſe de numero eorum, qui de unius ordinis præ aliis dignitate, vel de contemplativæ vitæ ſuper activam præſtantiâ longas ſerunt diſputationes: illud autem certum exiſtimo, quod ut mixta vita perfectior cenſeri queat, præſertim ſi prædicatione, ſive Sacramentorum adminiſtratione verſetur circa animarum curam (de quâ ſolâ fere hic agitur, cum per hoſpitalitatem & alia ſuperius deducta pene omnia Monaſte-

naſteria exerceant quoque activam vitam in corporalibus) *derivari* actio debeat *ex plenitudine contemplationis*, prout ex S. Gregorio, deducit S. Thomas. Hinc & Bernardus: *quod tuum eſt ſpargis & perdis, ſi priuſquam infundaris tu totus, ſemiplenus feſtines effundere.... quam obrem ſi ſapis, concham te exhibebis & non canalem. Hic ſiquidem penè ſimul & recipit & refundit; illa vero donec impleatur exſpectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat, ſciens maledictum qui partem ſuam facit deteriorem. Verum canales hodie in Eccleſiâ multos habemus, conchas vero per paucas.... diſce non niſi de pleno effundere nec Deo largior eſſe velis. Concha imitetur fontem, non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur donec ſuis ſatietur aquis. Non pudeat concham non eſſe ſuo fonte profuſiorem? denique ipſe fons vitæ plenus in ſeipſo & plenus ſe ipſo... prius interna replevit & ſic exundans in multis miſerationibus ſuis viſitavit terram & inebriavit eam, multiplicavit locupletare eam. Ergo & tu fac ſimiliter, implere prius & ſic curato effundere... alioquin nec mihi ſedet ditari ex te inanito. Si enim tu tibi nequam cui bonus eris? de cumulo ſi potes adjuva me, ſin autem parcito tibi.* Ac deinde recenſito ad longum ordine quo quiſque juxta Eccleſiaſticum, *miſereri* debet *animæ ſuæ placens Deo*; ſic concludit: *En quanta prius infundenda ſunt, ut effundere audeamus, de plenitudine non de penuriâ largientes.*

2.2. q. 188.a.6 vid. hom. 5. in Ezechiel. paſt. lib. 3. &c. in Cant. ſer. 18.

Eccli.c. 14.c.30.

Primo

Primo quidem compunctio, deinde devotio, tertio pœnitentiæ labor, quarto pietatis opus, quinto orationis ſtudium, ſexto contemplationis otium, ſeptimo plenitudo dilectionis, de qua antea dixerat, *eam nondum adeptus periculoſiſſimè promovetur, quantiſlibet aliis videatur pollère virtutibus.*

Rara ſunt hæc dona & paucis conceſſa, hincque SS. Patres toties conqueruntur de imperfectis animarum curatoribus: *Quanti panes non habentes & veſtimentum*, inquit Auguſtinus, *cum ipſi eſuriant & nudi ſint nec habeant ſpirituales cibos neque Chriſti tunicam integram ſervaverint, aliis alimoniam veſtimentumque promittunt, & pleni vulneribus medicos ſe eſſe jactant*, & Gregorius: *Quis cogitationum vulnera occultiora eſſe neſciat vulneribus viſcerum? & tamen ſæpe qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim neſciunt videri medici carnis erubeſcunt.* Præterquam autem quod perficiendorum potius quam perfectorum ſit Status Monaſticus, non adhuc ſufficit eſſe perfectum ſive plenum, ut quis Eccleſiæ miniſteria obeat, niſi inſuper vocatus ſit: ſive potius, qui in ea non vocatus ſe ingerit, eo ipſo convincitur quod plenus non ſit, cum contra Apoſtolum *ſumat*, ipſe *ſibi honorem*, non exſpectans ut *vocetur à Deo tanquam Aaron.* Hinc illæ voces: *Locus regiminis deſiderantibus negandus. Profecto indignus eſt Sacerdotio niſi fuerit ordinatus invitus*, &c. Appoſitè iterum Bernardus:

Lib. 1. cont. Julian.

Heb. c. 5. S. *Greg. l. 6 Ep. 4 cod. ll. 1. tit. 3. de Epiſc. & Cler.*

de converſ. ad Cler. cap. 18. dus: *Unde veſania tanta præſumptionis humanæ? audetne aliquis veſtrum terreni cujuslibet Reguli non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare miniſteria, præripere beneficia, negotia diſpenſare? nec tu Deum putes, quæ in magna domo ſuâ in vaſis iræ aptis in interitum ſuſtinet, approbare. Multi quidem veniunt, ſed conſidera quis vocetur*, &c. Et poſt plura *væ* deſuper comminata & poſt deploratum Eccleſiæ ſtatum: *Non miramur ſi vindemiat vineam Domini qui inſtitutam a Domino prætergreditur viam...., curritur paſſim ad ſacros ordines, & reverenda ipſis quoque ſpiritibus Angelicis miniſteria apprehendunt*, &c. Si hæc Clericis quid Monachis diceret ſanctus Pater, quorum *officium* aſſerit eſſe *Epiſt. 397.* *ſedere & tacere?* Quin & Dominus per Prophetas conqueritur de non vocatis: *Ipſi regnaverunt* *Oſeæ 8.* *& non ex me, Principes extiterunt & ego non vo-* *Jer. 23.* *cavi eos. Non mittebã Prophetas & ipſi currebant.* Scitur autẽ quomodo per & propter eos populus Iſraëliticus ſeductus fuerit & abductus in captivitatem. Sicut etiam dum *Joſephus Zacha-* *Machab. l. 1. c. 5.* *riæ filius & Azarias* quamvis *Principes virtutis, exiſtimantes ſe fortiter facturos*, non vocati ierunt pugnare adverſus Gentes, non ſolum ipſi *fugati ſunt*, ſed inſuper *ceciderunt de populo ad duo millia viri, & facta eſt fuga magna in populo*, quia *ipſi non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſraël.*

Et forte etiam defectu vocationis contigit *de Sa-* quod narrat S. Chryſoſtomus dicens: *Multos*

novi ex iis qui ſeſe perpetuâ continentiâ cohibuiſſent ac quorum corpora jejuniis multis exhauſta eſſent, donec ſolitariam vitam agere, ac ſuas duntaxat res curare licebat, Deo maximè acceptos fuiſſe, eoſdemque in dies ſingulos cœpta illi Philoſophia auctuarium non parvum adjeciſſe, qui iidem poſteaquam in hominum lucem venerunt vulgi inſcitiam emendare coacti, priſtina vita curâ atque auſteritate procul excuſsâ, tum ſibi detrimento maximo, tum aliis nulli prorſus uſui fuêre, &c. *cer. l. 3 cap. 15.*

In quibus quidem tanquam in ſpeculo conſiderent dictum, ſi non factum ſuum illi, qui nimium ſapientes in oculis ſuis volunt efficere ut vocentur vel ut alii per ipſos ſalventur, ſtolidè putantes, Deum magis glorificandum ſi plures, quam ſi ipſi ſoli ſalventur. Quaſi vero *eſſet in poteſtate hominis Conſilium Dei*, vel præcepiſſet Dominus proximum diligendum pluſquam ſe ipſum, ſive non mandaſſet prius *miſereri animæ ſuæ*, aut Chriſtus non dixiſſet: *quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur anima vero ſuæ detrimentum patiatur, aut quam commutationem dabit homo pro animâ ſuâ.* *Job. c. 8.* *Eccleſ. ſupr.* *Matt. cap. 16.*

Liceretve propriæ perditioni conſentire ac cooperari, & *ſic facere mala ut veniant bona,* &c. *vid. Rom. 3*

§. II.

In ſolitudine quidem optima præparatio ad aliorum, directionem, non hæc tamen ſed illa tanto arctius à Monachis teneatur, quanto à cæteris magis negligitur.

TAntum rurſus abeſt ut talenta abſcondantur vel fodiantur in terrâ ducendo ſolitariam vitam (de quo etiam videri poſſunt ſanctus Bernardus ſerm.90.de div.& 12.in Cant.) ut econtra nullibi aptius præparetur homo ad eorum rectum uſum, neque ullum genus vitæ magis congruat ad exercenda & adipiſcenda illa quæ ſupra vidimus requiri antequam quis accingat ſe ad aliorum inſtructionem vel curam. Hinc S. Paulus adeo miraculosè converſus, in Arabiâ per ſolitariam vitam juxta pleroſque prædicando Gentibus Evangelio ſe
Luc.1. & 3. præparavit, & ipſe ſanctiſſimus Præcurſor *à pueritiâ fuit in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël*, id eſt uſque ad trigeſimum ferè annum, *quando factum eſt verbum Domini ſuper Eum*: imò ipſe ſanctus Sanctorum per circiter 30. annorum ſpatium non ſolum latentem & abſconditiſſimam vitam egit; ſed inſuper mox à ſuſcepto Joannis Baptiſmate *in deſertum à ſpiritu duci* voluit, nec inde niſi in
Matt. & Luc. cap.4. *virtute* ejuſdem *ſpiritus regreſſus*, cæpit prædicare,

care, *noctibus* interim adhuc *morans in monte Oliveti* ſolus oraturus ; ſicque innuens Baptiſatis ut ad conſervationem acceptæ gratiæ vitam abſconditam ducant cum eo in Deo, donec inde evocentur; ac prædicatoribus , animarumque curatoribus, ut quod in publicum vel in alios effundant, prius hauriant in ſolitudine, quam ſæpius quoque repetant , prout hodiedum adhuc faciunt omnes pii, per aliquot etiam dierum ſpiritualia exercitia , non quibus deſinant utiles eſſe aliis ſed quibus caveant ne ſibi per activam vitam nocentes proximo quoque inutiles & nocivi reddantur. *Matt.* 14. *Luc.* 21.

Sane ſanctus Auguſtinus in Libro de moribus Eccleſiæ lucidiſſimè demonſtrat hominem juxta primum & maximum mandatum debere vacare & inhærere ſoli Deo , utpote ſummo ſuo bono , quod faciendo non poteſt non diligere ſeipſum ; ac deinde tanquam ſeipſum debere diligere proximum, ex cujus dilectionis *precepto naſcuntur*, inquit, *officia ſocietatis humanæ*, at in his *non errare difficile eſt.... non enim ad hac ſatis eſt voluntas bona, ſed opus eſt magnâ ratione atque prudentiâ, quâ nemo uti poteſt niſi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit.* Alio autem loco brevius & clarius eadem fere exprimit his verbis : *à ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus vero ſuperior ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur* *cap.* 11. *& ſeq.* *cap.* 26. *& ſeq.* *de civit. Dei lib.* 19. *c.* 19.

neatur atque adminiſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Quod idem expreſſe iis qui *præeſſe & prodeſſe populis poſſunt ſi quæſiti non fuerint* faciendum approbat Author librorum de vitâ contemplativâ inter opera ſancti Proſperi. Denique Bernardus qui fratrem ſuum Gerardum, licet ſolâ exteriorum Monaſterii curâ detentum laudavit de eo quod in horâ mortis dixerat: *Deus tu ſcis quod quantum in me fuit ſemper optavi quietem, mihi intendere, tibi vacare*, &c. Alibi ſic habet Mariæ pars *omnino quod ad nos ſpectat eligenda*, Marthæ *vero ſi injungitur, patienter eſt toleranda.*

Lib. 3. c. 28. *in Cant. ſer. 26.* *de diverſ. ſer. 9.*

Per incidens quæri hic poſſet, quî ſolitudo, ad quam ex allegatis patet omnes quodammodo vocatos eſſe, inutilis cenſeri poſſit, vel unde fiat quod praxis & opinio communis ad nullum fere ſtatum quam ad ſolitariorum licet longè tutiſſimum, ſpecialiorem requirat vocationem? ſed quo magis paſſim negligitur, eo juſtius eſt ut Monachi *ſatagant per bona opera* propoſito ſuo convenientia *certam ſuam vocationem & electionem facere*; unde Bernardus, qui prædicationis deſiderium toties culpat in Monacho: *quibus nulla credita eſt diſpenſatio, adminiſtratio nulla commiſſa, his omnino ſedendum erit aut ſecus pedes JESU cum Mariâ, aut*

2. Pet. 1. *ſerm. 3. in Aſſump. B. M. Virg.*

certe cum Lazaro intra ſepta ſepulchri. ... Iterum dico ne quis de ignorantiâ habeat excuſationem: oportet te, frater ad quem de fabricandâ ſeu regendâ inter undas diluvii Noë Arcâ nihil ſpectat, aut virum eſſe deſideriorum, ut Daniel erat, aut cum beato Job virum dolorum & ſcientem infirmitatem, alioquin vereor ne tepidum te & nauſeam provocantem evomat ex ore ſuo, qui te invenire cupit, aut ſui conſideratione calidum & charitatis igne flagrantem, aut tui ipſius cognitione frigidum & aquâ compunctionis ignita diaboli jacula reſtingentem. Et Eugenius III. Ciſtercienſes ſuos muniens adverſus ſcopulum, quo qnidam eos è ſolitudinis receſſu revocare moliebantur, ſic ſcribit Capitulo generali: *& quoniam filii ſæculi hujus vos renitentes etiam ad Regimen ſui trahere moliuntur, & de quiete contemplationis & deſerti ſilentio volunt vos aliquoties ad occupationes & negotia revocare, ad mentis oculum, Patrum veſtrorum inſtituta reducite, & propheticum habentes exemplum, eligite magis abjecti eſſe in Domo Dei, quam habitare in tentoriis peccatorum*, nihil enim ſecurius quam juxta Salvatoris doctrinam, *recumbere in noviſſimo loco* nec *quærere in corpore Chriſti niſi ſanitatem.* Et certum eſt majoris eſſe meriti apud Deum, ſicut & utilitatis pro Eccleſiâ & Republicâ, perfectè Deo per vitæ contemplativæ officia adhærere, quam imperfectè utrique vitæ deſervire: & in magni Patris familias domo non ille utilior qui ſummis officiis

Epiſt. 273. inter Bernard.

Luc. 14.
Aug. in Pſ. 130.

præeſt, ſed qui fideliter illa agit, quibus à prudentiſſimo Domino præponitur; ſicut qui in altiori gradu non ſolum inutilis ſed & noxius reperitur, in inferiori utiliſſimus fortè eſſet. Hinc Magnus ille Monachorum defenſor Au-
Ep. 76. guſtinus non ſolum ait: *quod minimum eſt minimum eſt, ſed fidelem eſſe in minimo magnum eſt*; ſed alibi ſpecialiter de Monachis ſic: *aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum facit.* Hinc & Sapiens: *altiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.*
Eccli. cap. 3.

Non excidit interim nos ſuperius dixiſſe innumeros propemodum ex Ordine Monaſtico eductos, & quidem maximo Eccleſiæ bono fuiſſe: ac proinde non raro eos qui ad Mariæ partem exercendam deſtinati fuerant Marthæ induiſſe ſollicitudinem. Verum non ſemper in exemplum trahenda ſunt, quæ mirâ Dei diſpenſatione geruntur, alioquin ex piſcatoribus immediatè aſſumantur iterum Eccleſiæ Epiſcopi; itaque id non niſi urgente Eccleſiæ neceſſitate & Dei ſolitudinem commendantis vocatione contigit, onus iſtud cunctis viribus interea refugientibus ſanctis viris, quorum à ſacris miniſteriis fugâ plena eſt hiſtoria Eccleſiaſtica. Quamobrem Bernardus quia negotiis Eccleſiæ
Ep. 250. intricatus, ita ad amicum ſcribit: *Clamat ad vos mea monſtruoſa vita, mea ærumnoſa conſcientia. Ego enim quædam Chimæra mei ſæculi nec Clericum gero nec Laicum. Nam Monachi jam dudum*

dum exui converſationem, non habitum. Nolo ſcribere de me quod vos per alium audiſſe exiſtimo, quid actitem quid ſtudeam, per quæ diſcrimina verſer in mundo, imò per quæ jacter præcipitia. Quæ poſtrema verba ad quemdam Carthuſienſiū Priorem ſcripta Bernardum ſcilicet portarum, in memoriam revocant, primo quidem diſcrimen Monachi extra cellam converſantis, qui juxta S. Antonium alioſque aſſimilatur piſci extra aquam, deinde vero quod Sanctus Carthuſienſium Ordo, qui nec prædicationi nec aliorum directioni ſe immiſcens in cellâ perſtitit primævū fervorem ſuum ac ſpiritum minus aliis purèMonaſticis amiſit, quia nimirum juxta ſapientis conſilium, Locum ſuum non dimiſit ſed manſit in gradu ſuo. Non ergo culpamus propter veram Eccleſiæ neceſſitatē vel per legitimā Dei vocationē perfectos Monachos ad perfectionis opus aſſumi, in quo econtra Monachis obediendum eſſe Auguſtinus ſupra commendavit; ſed tantum adſtruimus, *certum eſſe quod publicè prædicare*, (à fortiori curam animarum habere) *nec Monacho convenit, nec Novitio expedit, nec non miſſo licet*, ſive quod in idem redit, quod *docere nec indocto in promptu, nec Monacho in auſu, nec pœnitenti in affectu eſſe* debeat. Et ſupra vidimus ex ſancto Gregorio, *neminem poſſe & Eccleſiaſticis obſequiis deſervire & in Monaſticâ Regulâ ordinatè perſiſtere.*

Eccl. 10.

cap. 10. § 2.

Bern. in Cant. ſerm. 64

Epiſt. 89 *Cap.* 3.

§. III.

Ex pulcherrimâ quam Deus inter membra Corporis Eccleſiæ diſpoſuit harmoniâ, probatur Monachos utiliſſimos, ſi ſolis Inſtituti ſui inhæreant exercitiis.

Sup. c. 1. SEd ut tandem revertamur ad id unde utilitas vitæ purè Monaſticæ probari ferè cæpta eſt, ad Corpus ſcilicet Chriſti Eccleſiam, devotus Abbas & Bernardi in Cantica continuator *Gilleb. in Cant. ſerm. 25* Gillebertus ſciens quod *aliqui vitam ſecretam, vitam Sanctorum vacuam putant & ſine honore*, poſtquam deploraſſet inter varios abuſus etiam illum quo aliqui, *qui oculi non habent officium ex promotione, uſurpant ex præſumptione*, ita *ibid. ſer. 23.* ſuos alloquitur. *Eſtote fratres veſtrâ contenti menſûrâ nihil omnino in corpore columbæ officio vacat, nihil caret honore: & ea quæ abſcondita ſunt abundantiorem habent honorem. Denique & capillis ſponſæ ſuus eſt honor. Deus* enim *eſt qui poſuit membra unum quodque eorum in corpore ſicut voluit.* *1. Cor. 12.* *Quod ſi eſſent omnia unum membrum ubi corpus? nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Ac ſi dicatur,* inquit S. Anſelmus in hunc locum; *ſi eſſent omnes unius officii vel operis, quomodo impleretur reliqua neceſſitas corporis cum conſtet multis officiis opus eſſe ad gubernationem corporis. . . .*

ſi unum quid cuncti agerent, corpus utique quod ex multis continetur membris, non eſſent. Et appoſitè ad rem noſtram Ambroſius: *nunquid membrum tuum alterius membri officia ſibi vendicat, ut oculus officium oris, aut os oculi officium ſibi vendicet, aut manus pedum miniſterium, aut pes manuum? quin etiam ipſa manus dextra & ſiniſtra diſpartita habent officia pleraque, ut ſi uſum commutes utriuſque, adverſum naturam ſit. Unde pulchrè Apoſtolus ait: ſi totum corpus oculus ubi auditus.... ſic naſcimur ut conſentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat & obſequantur ſibi mutuo miniſterio. Quod ſi unum deſit officio ſuo impediantur & cætera.* *Lib. 3. de off. cap. 3*

Si igitur juxta Patres *Monachus* in Eccleſiâ tale ſit membrum quod *non loquendo & diſcurrendo, ſed tacendo & ſedendo* dignoſcitur, ſi in Chriſti corpore *non Doctoris ſed plangentis habet officium, qui vel ſe vel mundum lugeat, & Domini pavidus præſtoletur adventum*, ut utilis ſit ac ordinatus teneat locum & actum ſibi aſſignatum ſecundum menſuram donationis Chriſti, *ſummo ſtudio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem pervenire feſtinans, aliorum quidem* qui activæ vitæ exercitiis vacant, *Laudans admiranſque virtutes, nequaquam* tamen *à ſuâ quam ſemel elegit profeſſione diſcedens*, ſed jugiter rogans *Dominum ut mittat operarios in meſſem ſuam*, & ut cæteris corporis ſui ſingulorumque membrorum neceſſitatibus miſe- *S. Hier. ad Ruſtic. côtr. Vigilant. S. Bern. ſup. Hugo de S. Victo. de clauſtro animæ l. 5. Caſſ. coll. c. 5.*

ſup. cap. 2. miſereatur. Supra enim ex Bernardo allatum eſt Monachos eſſe conſtituros ut pro totâ Ecclesiâ orent, & Auguſtinus reprobat otium quo proximi utilitas non cogitatur. *de civit. Dei l. 19. c. 19.*

Inſuper quoque dona ſolitudinis atque auſteritatis à quibus Evangelii prædicatio incepit, in Ecclesiâ Dei ſerventur oportet, & ſi Abbati Neſteroti, à S. Thoma cæteriſque Theologis laudato & diverſitatem actuum in membris Ecclesiæ etiam alleganti creditur, *irritos neceſſariò conatus impendit humana fragilitas*, ſi diverſarum profeſſionum ſtudia ac virtutes imitari geſtiat, *quas ſi quis voluerit pariter affectare, in id eum incidere neceſſe eſt, ut dum omnes ſequitur, nullam integram conſequatur, magiſque ex hac mutatione ac varietate diſpendium capiat quam profectum. Multis enim viis ad Deum tenditur, & ideo unuſquiſque illam quam ſemel arripuerit, irrevocabili curſus ſui intentione conficiat, ut ſit in qualibet profeſſione perfectus*; *in quâ vocatione* vocatus eſt *in eâ permanens*, ne violetur vel perturbetur pulcherrima illa inter membra Ecclesiæ harmonia, & contra diſpoſitionem divinam præſumat humana temeritas, Donec veniat tempus quo erit *Deus omnia in omnibus. Dominus enim ac Salvator noſter*, inquit S. Hieronymus, *nunc omnia non eſt in omnibus, ſed pars in ſingulis. Verbi gratia, in Salomone ſapientia, in David bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo zelus, in Joanne virginitas*

apud Caſſ. ſup. c. 6. *1. Cor. 7.* *1. Cor. 15. & vid. Eph. 4.* *S. Hier. Epiſt. 147. To. 3. vide Caſſ. inſtit. lib. 5. cap. 4.*

nitas in cæteris cætera. Cum autem rerum omnium finis advenerit , tunc omnia in omnibus erit, ut ſinguli Sanctorum omnes virtutes habeant, ut ſit Chriſtus totus in cunctis.

CONCLUSIO.

AD oculum , ni fallor ſub brevitate monſtratum eſt, Eccleſiæ atque Reipublicæ non parum utilitatis accedere per Ordinem purè Monaſticum , ſive in ſolitudine Mariæ partes amplexum, quem Magnus ille Græcorum Theologus vocat *Religionis Chriſtianæ columen , populi decus, mundi fundamentum.* *S. Greg. Nanz. in Apolog.* Ad rem vero illam ſolidius fulciendam, rationi & exemplis, quæ pauca ex multis adducta ſunt, Sanctorũ Authoritates ſuppoſuimus. *Quo nihil in Eccleſiâ Catholicâ ſalubrius fieri. Docet Aug.* *lib. de moribus Eccleſ. cap. 25.* Ex quibus authoritatibus cùm irrefragabiliter pateat, fideles omnes unum corpus efficere, & velut commembra inter ſe connexos eſſe; ſequitur quoque ~~quod~~ dum legitimo alicui ſtatui inutilitatis vel alterius vitii nota affigitur, non ſolum antiquis ejuſdem inſtituti & obſervantiæ ſanctis (quorum per conſequens in hoc ſæculo fuit par utilitas vel inutilitas) injuriam fieri ; verum etiam peccari in totam Eccleſiam cæteraque membra ipſius ſpiritu animata. *Non poteſt membrum membro dicere*, inquit Ambroſius ex Apoſtolo, *non es mihi neceſſarium* (conſequenter multo minus , non es mihi utile) *quin etiam ipſa quæ videntur infirmiora membra* *ſupra.*

bra eſſe, multo magis neceſſaria ſunt..... & ſi quid dolet membrum unum compatiuntur ei membra omnia. Unde quam grave eſt ut detrahamus aliquid ei cui nos compati oportet, & cui debemus conſortium miniſterii, ei fraudi & noxa ſimus? hæc itaque lex naturæ eſt, quæ nos ad omnem ſtringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis invicem deferamus. Nec detrahendum quidquam putemus, cum contra naturæ legem ſit non juvare.... jam ſi in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine (quanto magis in uno ſtatu tot millia hominum complectenti) *communio totius humanitatis ſolvitur, violatur natura generis humani, & ſancta Eccleſiæ congregatio, quæ in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei & charitatis aſſurgit. Chriſtus quoque Dominus, qui pro univerſis mortuus eſt, mercedem ſanguinis ſui evacuatam dolebit,* &c.

Matt. 19. Hinc aliis judicandum relinquitur, an non omnibus fidelibus incumberet compeſcere eos qui Monachos inutiles clamant. Et quam inſuper periculoſum eſt contemnere eos, quos Chriſtus promiſit aſſociare ſibi judices! verùm cum his non obſtantibus ſint quibus diſplicent quocumque vertunt ſe Monachi, ne hæc audientes vel videntes adhuc fortaſſis non audiant nec intelligant pro coronidè addere liceat illud, quo ſanctiſſimus Venetiarum Patriarcha Laurentius Juſtinianus diu poſt introductos pleroſque activæ vitæ

Ordi-

Ordines, Laudes & Librum ſuum de vitâ ſolitariâ incipit, Proœmium; in quo tales invenient, unde *faciant verbis ſuis ſtateram*, vel *ori ſuo oſtia & ſeras* aut *frænos rectos*; cæteri vero habebunt unde *ſepiant aures ſuas ſpinis*, ne *linguam nequam audiant*. *Eccli.28*

PROLOGUS

S. LAURENTII JUSTINIANI In Librum ſuum de vitâ Solitariâ.

QUemadmodum nullus à nativitate cæcus, quamvis naturalis ingenii acumine polleat, non niſi opinativè valet de coloribus judicare: ita neque de ſpiritualibus poteſt ad plenum ſenſum proferre, quisquis eorum extiterit inexpertus. Nam & ſi aliorum aſſertionibus eruditus pronuntiet veritatem, erit tamen qui loquitur tanquam æramentum ſonans aut cimbalum tinniens. Hinc oportunè ſatis *quorumdam impudentium eſt arguenda loquacitas, qui abſque experimento interioris dulcedinis*

nis præſumunt ſolitariè degentium lacerare vitam, arbitrantes eos penitus eſſe inutiles, quoniam foris minimè vagantur, neque ſe curis temporalium implicant ut cœteri. *quibus hos dixerim ſimiles, niſi cæcis, qui lumine privati importunis ſermonibus conantur videntium acta damnare, atque rectè gradientium ſubſannare itinera?* O ſi interioris hominis ſui haberent notitiam ſcirent utique ſolitariæ vitæ excellentiam, quanta ejus ſint lucra, quamve in ſe ſit decora, ſecura & gaudens. *Verum cum ignorent ſe, mirum non eſt, ſi etiam remotæ converſationis nequeant indagare myſteria hac de causâ illam deſpiciunt ſeque negligunt, atque obtrectationibus laniare non verentur.* Hoc *quoque agunt quoniam ad ipſius aſſequendam perfectionem non ſe vident idoneos*, tametſi illam ſanctorum authoritatibus & vitâ norint eſſe probatam. *Tantum quod illis libet laudant,*

quodque intentioni eorum congruit, præconiis commendare non ceſſant. Status univerſos præter proprium deteſtantur, ac ſi illorum tantum eſſet Deus & non etiam aliorum. Non enim ſtatuum aut perſonarum acceptor eſt Deus, ſed omnes qui ſimplici corde legis mandata cuſtodiunt accepti ſunt illi. Meminerint *ejuſmodi detractores* Domini tunicam fuiſſe inconſutilem atque deſuper contextam per totam. Meminerint, inquam, omnem gloriam filiæ Regis Eccleſiæ eſſe ab intus in fimbriis aureis, circumamictam varietatibus; eſt etiam ſpiritus multiplex propter diverſitatem ſtatũm conditionumque mortalium. Proinde Dominus, qui Electorum ſuorum novit naturas & mores, varios diſtinxit in Eccleſiâ gradus, quatenus quod cuique proprium eſt, tribueret ſingulis, faceretque corpus ſuum, quamvis diſcretum in ſtatibus, in uniformitate tamen intentionis charitate compactum. Deſinant itaque qui ſolitariæ vitæ derogant unitatem ſcindere, & auratam veſtem varietate decoratam lacerare Eccleſiæ, Om-

nes Chriſto Regi ſœculorum immortali & inviſibili famulantes venerentur & colant. Deum in ſanctis ſuis laudent, qui converſantes cum hominibus protegit ne cadant, certantes adjuvat ne ſuccumbant, atque remotè degentes viſitat ne tepeſcant. Hos per amplius quam cæteros ſpiritualibus conſolationibus viſitari credendum eſt, utpote qui pro divinitatis amore contempſerunt humanas. Non igitur parvi pendendi ſunt, quos Deus ab hominibus ſegregatos interno nutrit pabulo. *Verum quamvis videantur ignoti & per exteriorem exercitationem corpori Eccleſiæ minus proficui, illi tamen multifariè proſunt.* Ipſum quippe continuis orationibus vegetant, à tentationibus defendunt, pro delinquentibus deprecantur, ſuiſque exemplis temporalia docent eſſe ſpernenda. Eadem autem contemnunt, converſationes fugiunt, atque remotè vivunt, non ducti ignaviâ ſeu inediâ compulſi, ſed conditoris ſui illecti deſiderio. Unde in eorum
Pſ. 54. perſonâ propheta ait: *Elongavi fugiens & manſi in ſolitudine. Expectavi eum qui ſalvum*

vum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Eſt itaque eorum fuga commendabilis dum declinant noxia, pericula prævident, delictorum evitant cauſas, æterna deſiderant, Deoque inſeparabiliter adhærere concupiſcunt. Hinc ſolitudinis ſecreta perluſtrant, ut Deo vacantes, ab humanis conturbationibus divinâ ſint protectione ſecuri. Quemadmodum de ipſis pſaltes Domino cecinit dicens: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum?* Quoties per mentis elevationem contemplationi intendunt cæleſtium, ab hominum conturbatione teguntur. Cæterum cum per ſui cuſtodiam munditiæ cordis & puritati conſcientiæ invigilant à linguarum fiunt contradictione ſecuri. Duplici ex hoc teſtimonio ſolidantur, ſpiritus videlicet & conſcientiæ. Ipſe namque *ſpiritus* (dicente Apoſtolo) *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod filii Dei ſumus.* At verò beatus ille veridicâ voce inquit. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Secure igitur & cum exultatione

Rom. 8.

2. *Cor.*

ſpiritus in ſolitudine perſeverandum eſt. non pertimeſcendæ ſunt oblocutiones malorum, neque dæmonum formidandi inſultus; quoniam de corporali remotione ad requiem, & de ſpirituali quiete conſummato hujus peregrinationis curſu tranſitur ad Patriam; ſi tamen utraque uſque ad finem laudabili exercitatione teneatur &c. &c.

FINIS.

IN-

INDEX CAPITUM

PRÆFATIO.

IN quâ oſtenditur Virtutem magno ſemper in pretio fuiſſe habitam: Vitam Monaſticam nihilominus à quibuſdam etiam Chriſtianis, ſed malis, fuiſſe contemptam. Et tandem exortis in Eccleſiâ vitæ activæ Ordinibus ab horum aliquibus profeſſoribus fuiſſe impetitam, ſed immerito. Adeoque ſimilium dicteriis nullum ab amplectendo inſtituto Monaſtico deterreri , Monachos vero in eodem fortiter perſiſtere debere ; cum Chriſtus ipſemet voluerit audiri inutilis ; quod tamen non impedit quin talia improperia, utpote animarum ſaluti nimium pernicioſa retundantur. Incidenter quoque refellitur altera contra veterem monachiſmi obſervantiam calumnia, nimium ſcilicet debilitatæ naturæ humanæ.

CAPUT I. Si Monachi inutiles forent merito exterminari debuiſſent ſed contrarium oſtendit nimia eorum etiam ſignis à Deo approbata multitudo, & item communio Sanctorum, quæ in quo ſita ſit, breviter oſtenditur. §. I. pag. 1 2

§. II. De communione Sanctorum. pag. 13
§. III. Defectus charitatis communioni Sanctorum officit. Theſaurus Eccleſiæ magnâ ex parte conſtat meritis monachorum. - - - - p. 17
CAPUT II. Eccleſia per Doctores ſuos Monaſticam vitam ſemper contra Hæreticos defendit, eamque ſummè laudavit. §. I. - - - p. 19
§. II. Sanctorum Patrum Latinorum de vitâ purè Monaſticâ opinio. p. 22
CAPUT III. Indefeſſa Conciliorum ſollicitudo ut Monachi in obſervantia Regulæ continerentur, vel ſi deviaſſent, ad eam reducerentur, aſtruit vitæ Monaſticæ utilitatem. - - - - p. 27
CAPUT IV. Quod ex SS. Scripturarum Authoritate Monachorum utilitas demonſtrari poſſit. - - - p. 32
CAPUT V. Monachi fructuoſi maximè per orationem. - - - p. 33
CAPUT VI. Monachorum orationes & conturbernium ſanctiſſimi Eccleſiarũ Præſules quantum olim æſtimarint. p. 37
CAPUT VII. Quod Monachi orando concionentur & animas dirigant. p. 40
CAPUT VIII. §. I. Alter modus, quo ſilentium Monachorum, quam eloquentiſſimorum Concionatorum quandoque eſt efficacior prædicatio. - - - - p. 43
§. II. Quid non utilitatis exemplum ſolum

lum ſancti Antonii effecerit. p. 44.
§. III. Alia quædam ejuſdem rei exempla. - - - - p. 47
CAPUT IX. Tertius modus, quo ſilentes Monachi uſque nunc concionantur. p. 50
CAPUT X. Quod tamen Ordo Monaſticus Eccleſiæ etiam ſubminiſtraverit optimos verbi Divini præcones & Præſules.
§. I. Plurimi Libri à Monachis compoſiti fuerunt, ac innumeri Monachi ad Epiſcopatum aſſumpti. p. 52
§. II. Plurimæ nationes per Monachorum legitimè vocatorum prædicationes ad fidem & unitatem adductæ. - - p. 55
CAPUT XI. Variæ aliæ Monachorum utilitates breviter memorantur. p. 59
CAPUT XII. Quod Monaſteria etiam Reipublicæ ſint perutilia, ac imprimis exonerandis familiis ac præparando habitationes. - - - - - p. 62
CAPUT XIII. Monaſteria Reipublicæ utilia propter hoſpitalitatem & largas eleemoſynas. §. I. - - p. 63
§. II. Famis præſertim tempore Monaſteria utiliſſima. - - - - p. 68
CAPUT XIV. Quantum valeant Monachi ad obtinendam de hoſtibus victoriam.
§. I. Quibus armis Monachi prælientur. - - - - p. 71
§. II. Victoriarum per preces & merita obtentarum exempla. - - - p. 74

CAPUT 118

CAPUT XV. De aliis generaliter Monachorum in Rempublicam utilitatibus. p. 81

CAPUT XVI. Quod ob perſpectam Monachorum in Rempublicam utilitatem Imperatores, Reges, Principes, Magiſtratus iiſdem ſemper faverint. - - - p. 85

CAPUT XVII. Quod ut Monachi Eccleſiæ ac Reipublicæ proficiant, vivere debeant juxta ſuam profeſſionem, à quo tamen ſæpè retrahuntur ab iis qui hoc objiciunt. - - - - p. 92.

CAPUT XVIII. An ſaltem non eſſent utiliores Monachi ſi contemplativæ vitæ activam jungerent.

§. Ut quis curæ animarum ut decet vacare poſſit requireretur ut eſſet perfectus, & ad id à Deo vocatus, neutrum eſt Monachus, quà talis. - - - - p. 95

§. In Solitudine quidem optima præparatio ad aliorum directionem, non hæc tamen, ſed illa tanto arctius à Monachis teneatur, quanto à cæteris magis negligitur. - - - - p. 100

§. III. Ex pulcherrimâ quam Deus inter membra corporis Eccleſiæ diſpoſuit harmoniâ probatur Monachos utiliſſimos, ſi ſolis inſtituti ſui inhæreant exerciis. - - - p. 106

CONCLUSIO. - - - - p. 109.

FINIS.

[illegible]

rotti[illegible]. e darei actioni [illegible]

e defi[illegible] S. Doctor, alia[illegible]

119 18

005658501

Digitized by Google

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN